



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Dispvtaones Theologicae

Quatuor Tomis distinctæ: Qvibus Vniversa Theologia Scholastica Clare,
Breviter & accuratè explicatur

De Deo, Et De Angelis

Martinon, Jean

Burdegalae, 1644

Dispvatio XIV. De actibus liberis diuina voluntatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73898)

hendi iure possit. Quædam etiam fecisse specialiter tali modo, ut conuenienti alius non fuerit: tunc æquali facilitate aliud modum adhibere poterit: ut de Incarnatione specialiter dicit S. August. lib. 13. de Genesi ad litteram c. 10. Quædam denique fecisse, quæ meliora sunt, quam ipsorum opposita: ut v. g. fuisse rationabilis, homini post peccatum, inferre dolores & mortem, id est, eum constituere, propter peccatum, in eorum statu, in quo secundum suam naturalem conditionem esse debebat, eumque doto immortalitatis, & alijs bonis supernaturalibus spoliare. Sapienter denique propter multas utilitates permittere homines tentari à dæmonibus. Christum non statim post Adæ peccatum misisse: non abstinuisse à creandis hominibus & Angelis ob præcitam conditionem eorum malitiam: aliaque id genus: ex quibus impossibile est apte deducere id quod Aduersario probandum est: Deum scilicet infallibiliter & ex morali necessitate facere: eper quicquid melius est. Quare necio tanta testimoniorum congerie moueri debet, quæ bene expensa apparent inutilia.

45
Soluuntur
rationes
contrariæ
sententiæ.

Eiusdem generis sunt quæ tertio loco opponit sect. 10. & quinque sequentibus, quæ sine ratio referri non possent, & refutari. De illis autem, ex ijs quæ iam diximus, potest facile iudicari. Sectione verò 16. hanc rationem obijcit: Quælibet voluntas inclinatur magis ad volendum efficaciter illud obiectum, quod per simplicem affectum complacentiæ magis diligit: minus autem inclinatur quælibet voluntas ad volendum efficaciter obiectum, quod simplici complacentia minus diligitur. Sed bonitatem suam creatoris communicare, præcipue rationalibus, est obiectum Deo magis arridens simplici complacentia, magisque proportionata materia gaudij, quam eius oppositum: ad hoc igitur efficaciter volendum inclinatur magis diuina voluntas: vnde infallibiliter id vult. Deus enim nunquam resistit suæ maiori inclinationi. Quia inclinationis illius vehementia tanta est, ut infallibi-

liter alliciat: cumque sit rationabilissima; minus conueniens est, id est, non est conueniens (id enim est probandum Aduersario) Deum illi resistere: Addit sect. 17. nullum motium sufficiens potuisse proponi ab intellectu diuino, propter quod diuina voluntas respiceret maius bonum, & amplecteretur minus: sublatoque motiuo inuidiæ (quod est impossibile diuinæ bonitati) nullum restare motium sufficiens quod diuinam propensionem contineat, ne feratur ad illud, quod omnibus pensatis est rationabilius.

Ad primum Respondeo concessio toto argumento primo, nego consequentiã illi subiunctã, cum eius probatione. Nam illa inclinatio nullã vim infert diuinæ voluntati; sed quatenus se tenet ex parte illius, nihil aliud est, quam eius affectus suauissimus & placidissimus circa obiectum possibile, non impo- ter illam trahens, qualis solet esse nostra inclinatio, quãdo vehemens est: sed tendens modo sibi conuenienti in suum obiectum, cumque nullius rei creatæ indigeat, non fertur necessario ad illas efficaciter amandas aut producendas. Essetque minus Deo conueniens ita ferri, atque à sua inclinatione tam impotenter trahi, ut moraliter non posset oppositum.

Ad secundum Respondeo motiuum sufficiens esse exiguitatẽ boni illius creandi, Deo comparati, & non indigentiam illius respectu Dei. Hinc enim fit ut Deus conuenienter possit liberrimè ab omnibus bonis creatis efficaciter amandis & producendis abstinere, ut diximus initio sectionis 4. Porro quod hucusque diximus, Deum nõ velle necessario creaturas efficaciter, intelligendum est de voluntate antecedenti & absoluta. Neque enim negamus Deum velle aliqua necessario consequenter ex aliqua hypothesi: puta velle implere quæ promisit, aut facere ea quæ prædixit se facturum: Deus enim fidelis est, & seipsum negare non potest, ut dicitur 2. Timoth. 2. v. 13. estque impossibile Deum mentiri, ut ait Apostolus. Hebr. 6. v. 18.

DISPUTATIO DECIMA QUARTA

De actibus liberis diuinæ voluntatis.

Section I. *An sit in Deo liberitas, & circa quid?*

Section II. *An liberi Actus diuinæ voluntatis addant aliquid in re distinctum à Deo?*

Section III. *An actus liberi addant aliquam perfectionem Deo intrinsecam, ratione saltem distinctam?*

Section IV. *Expenduntur tres explicandi modi supra relati; & probabilior sententia defenditur.*

Section V. *An omnes actus liberi diuinæ voluntatis sint ab æterno, & sint immutabiles?*

Section

Sectio VI. De ordine decretorum diuine voluntatis tum inter se, tum etiam respectu cognitionis diuine.

Sectio VII. Vtrum ordo assignatus inter actus diuinos sit Deo intrinsecus?

Sectio VIII. Respondetur argumentis contrariae sententiae.

Sectio IX. Sintne in Deo decreta conditionata?



MATERIAM huius disput. tradit S. Thom. quaest. 19. vbi docet Deum habere liberum arbitrium respectu aliorum a se quae non necessariò vult. Respectu verò sui nullam habere libertatem, cum se necessariò velit. Liberum enim arbitrium habemus, inquit, respectu eorum, quae non necessariò volumus, vel naturali instinctu. Non enim ad liberum arbitrium pertinet quòd volumus esse foelices, sed ad naturalem instinctum. Vnde & alia, quae naturali instinctu mouentur ad aliquid, non dicuntur libero arbitrio moueri. Cum igitur Deus ex necessitate suam bonitatem velit, alia verò non ex necessitate: respectu illorum, quae non ex necessitate vult, liberum arbitrium habet. Haec D. Thom. Ex quibus patet quam sint alieni ab eius mente, &que ac à veritate, qui volunt libertatem cum necessitate antecedente conciliare, & in solâ spontaneitate, seu libertate à coactione, eam constituere: quique dicere non verentur Deum Patrem liberè generare Filium, & ambos liberè spirare Spiritum sanctum: atque ità Deum liberum arbitrium habere circa seipsum. Quem errorem circa diuinas processiones, specialiter & ex professo impugnat & damnat S. Thom. quaest. 41. art. 2. vbi de actibus Dei notionalibus disputat, aitque hunc loquendi modum ab Arianis ortum esse, & anathematizatum à Concilio Sirnienti, vt refert Hilarius in lib. de Synodis.

SECTIO I.

An sit in Deo libertas, & circa quid?

Probat
Deum esse
liberum.



SSE in Deo libertatem volendi & operandi docet Scriptura Psal. 134. Omnia quaecunque voluit Dominus fecit in caelo & in terra. Quaecunque voluit: non quaecunque potuit. Si autem necessariò operatus esset; fecisset quaecunque potuisset, neque mensura operum diuinorum esset singulariter ad voluntatem referenda: sed ad defectum amplioris potentiae. Et Ephes. 1. Operatur omnia secundum consilium voluntatis suae; id est, ex libera electione. Consilium enim voluntatis non dicitur propriè nisi de voluntate libera, quae ad vnum ex multis se determinat per potentiam ad opposita, vel diuersa. Frustra enim consuleret, qui naturaliter determinatus esset ad vnum. Item vnam euiden-

ter ostendit ratio naturalis. Nam libertas est perfectio vitae praestantissima, & maxime vitalis, per quam intellectualis natura habet dominium actionum suarum, in eaque praecellit excellentissime naturis inferioribus ad vnum determinatis, & ad agendum necessitatis. Ergo Deus, qui est perfectissima vita, & fons omnis vitae, habet illam perfectionem circa objecta, circa quae illam habere melius est: & maxime circa ea omnia, quae ab ipso fiunt. Haec enim omnia sunt extra Deum, & non habent connexionem necessariam cum Deo, neque Deus illis indiget vilo modo. Confirmatur, quia in nobis certissime experimur libertatem, ita vt qui eam negant, pro amentibus, aut per summam malitiam excœcatis aures haberi possint. Major autem est ratio vt Deus sit liber circa ea quae facit, cum nullum ex eorum existentia actuali commodum ipsi adcedat. Denique ipsa Vniuersi molitio satis ostendit Deum in eo condendo liberè egisse: alioqui enim fecisset Bb

set quicquid, & quam primum potuisset: neque de multis aequalibus & indifferentibus vniuersi, aliter preuulisset, ut in plurimis fecit, & quotiens facit, producendo aut concurrendo, id hoc potius indiuiduum, quam ad aliud planè simile & æquale, ut ad hunc potius ignem, quam ad alium, cum inter hunc & alium, nullus sit ordo prioritatis essentialis, nec quidquam aliud ex parte subiecti aut causa, quod Deum potius ad hunc præ alio determinet.

Porro libertas in nobis duplex est. Vna quoad exercitiū, altera quoad specificationem. Prior est omnino ad agendum, vel non agendum. Secunda est ad agendum vno modo, vel alio opposito, aut diuerso. Ideoque prior dicitur, contradictionis. Secunda, contrarietatis, ad quam pertinet libertas diuersorum actuum tantum disparatorum, ut velle hoc aut illud, qualis est in electione prius medijs præ alio, inter quæ tamen non est contrarietas, imò nec semper diuersitas specifica, ut hunc equum præ illo eligere ad equitandum.

Vtraque libertas est in Deo. Ab æterno enim ita voluit, ut posset non velle efficaciter quicquam extra se, & ita volebat vnum, ut posset velle aliud diuersum, & posset nolle id quod voluit. Non poterat tamen diuina voluntas manere indeterminata, & determinanda, vel circa aliquot, vel circa omnia obiecta libera, quia immutabilitas diuina excludit mutabilitatem & successione ac variationem internam, non tantum quoad accessum ad decessu alicuius entitatis, sed etiā quoad vsum liberæ determinationis. Deinde id non conuenit Deo, cui non potest deesse vlla conditio, vel dispositio ad determinandū se, siquidem ab æterno nouit omnia perfectissime. Mera autem & pura indifferentia, & indeterminatio sine vllō vſu libertatis, non potest intelligi, nisi in defectu propositionis obiecti, vel conditionis necessariæ. Si enim voluntas habet omnia necessario ad vsum libertatis, & neque velit neque nolit, exercet tamen libertatem contradictionis, abstinendo ab vtroque actu: & si in voluntate est debitum volendi vel nolendi, abſtinentia illa est omiſſio imputabilis. Non repugnet tamen ut Deus ab æterno nec noller, nec veller quicquam liberè, sed ab vtroque liberè in æternum abſtineret. Quæ determinatio si esset ipſi Deo ab æterno, maneret quoque in æternum propter immutabilitatem diuinam. Et hoc non esset nolle facere, neque velle non facere, sed simpliciter non velle facere, qui est tertius quidam vſus libertatis. Nam præter hanc determinationem volendi aut nolendi, est alius vſus libertatis, qui est liberè non velle, licet non sit nolle.

Contra id quod diximus, voluntatem diuinā potuisse nihil velle eorum quæ liberè voluit, id est, nihil extra Deum existens, obijci potest primò, quòd, ut habet D. Thomas q. 19. art. 2. in Deo sit verè naturalis inclinatio ad se comunicandum, sicuti est in qualibet re,

Ergo cōtra Dei naturalem inclinationem, esset, si non velle se comunicare. Secundo Deus perfectius vult se ipsum, cum non tantum sibi ipsi, sed alijs etiam se vult per communicationem. Tertio velle efficaciter se comunicare, est actio recta & honesta, qua Deus careret, si nihil extra se efficaciter veller. Ac licet non sit perfectio entitativa, præter diuinam essentiam, est tamè perfectio veluti moralis, id est actio honesta, & decens, beneficentia & liberalitatis, aliarumque virtutum.

Ad primum, dictum est alibi, inclinationem illam non esse aliud quam naturalem aptitudinem se comunicandi, non autem exigentiam, aut tendentiam, cum qua sit inquietudo, vel imperfectio, quousque sit communicatio, quæ tota habet diuinæ libertati. Ad secundum, Respondeo negando id quod assumitur, videlicet ad perfectionem Dei necessarium esse ut velit se comunicare ad extra. Deus enim sufficit sibi ipsi, eiusque perfectio & beatitudo summa, & absolutissima, non pendet ab existentia creaturarum. Quòd, si ex Dei perfectione, vlla esset necessitas efficaciter volendi creaturas, esset ad omnes, quantum & quomodo possibiles sunt, ut se perfecte comunicaret, & ex summa communicatione summam suam perfectionem veller & consequeretur. Ad tertium dicemus infra sect. 4. Interea negari non potest quin talis actio sit honesta & recta: sed non est melior diuina libertate, quam si veller Deus non ita exercere pro iure suo, non esset vlla indecencia. Nam sicut potuit Deus velle se plus comunicare, quam de facto comunicauerit, & decreet eius bonitatem ac liberalitatem communicare se plus in infinitum, quam se comunicauerit: neque tamen vlla est indecencia in Deo quòd non velit amplius se comunicare: sic &c. Denique tota hæc reſtitudo, & honestas actus liberi, est in Deo, & esset, secundum entitatem realem, licet Deus nihil veller: quoad rationem verò aut tendentiam liberam quam addit, continetur eminenter in perfectione diuina necessaria.

SECTIO II.

Aut liberi actus diuina voluntati addam aliquid in re distinctum à Deo?

Respondeo actus diuinae voluntatis, seu necessarios, seu liberos, nihil in re distinctum addere. Cuius ratio summa est, quia substantia diuina est infinita simpliciter, & infinitæ entitatis, Deo per se sufficiens ut habeat rationem cuiuscunque actus, & cuiuscunque perfectionis, sine vllō superaddito à parte rei distincto, ut patet ex dictis de attributis in communi disp. 3. & disp. 4. sect. 1. de simplicitate Dei. Ut autem breuiter occurramus difficultatibus circa liberos actus,

Libertas est duplex, quoad exercitiū, & quoad specificationem.

3. Libertas est in Deo.

Inclinatio quam Deus habet ad se comunicandum, non obſtatur eius

Notandum est primò voluntatem nostram, dum producit actus, sequi ad illos producendos exercet, esse suum exercitium, absque accessione vllius alterius realitatis. Licet enim actus ipsi qui producuntur, sint aliquid reale adiunctum: tamen principium ipsum ad illos producendos se exercens, & conferens vim suam, non habet aliquid in re distinctum intermedium, sed ipsum per se est suum exercitium actuum absque realitate intermedia adiuncta: abiretur enim in infinitum, si inter ipsum & effectum deberet esse distinctum intermedium, per modum exercitii & vsus suæ virtutis. Et licet diuina voluntas non pari omnino ratione se habeat, atque voluntas nostra: tamen hæc consideratio valet ad ostendendum quòd aliquid possit habere notam rationem & exercitium per se, absque realitate ipsi adiuncta. Idque multò magis elucet in actu puræ omissionis, vbi datur exercitium libertatis sine vlla realitate, ne quidem ex parte actus, voluntati superaddita. Vnde non erit difficile perscrutari sententias de Dei maiestate vt decet, entitatem diuinam sufficere vt absque distincta realitate superaddita possit esse volitio aut nolitio cuiuscunque obiecti.

7. *Voluntas Dei se habet ad obiecta, vt nota ad actus.*
 Secundò considerandum est actum diuinæ voluntatis se habere quodammodo ad obiecta libera, vt voluntas nostra se habet ad liberos actus, in eo quòd sicut voluntas nostra, eadem in se mouens intrinsecè, sine vlla mutatione vel additione reali intra seipsam facta, exercet actum vel non exercet, & exercet hunc actum aut illius oppositum: sic actus diuinus, idem quoad realem entitatem, potest obiectum velle, aut non velle, aut nolle; & velle hoc aut illius oppositum: aded vt actualis illa & perfectissima entitas, quæ in Deo est velle, comparanda est, non cum actibus nostris libere, sed cum nostra potius voluntate: quia sic se habet quodammodo ad obiecta libera, vt voluntas nostra ad suos actus liberos. Nec mirum esse debet Deum per pauciora facere, quod nos per plura, vel modo quodam excellentissimo exercere, quod nos sine imperfectione non possumus. Est quidem discrimen inter voluntatem nostram, & actum Dei liberum, quòd voluntas nostra recipit in se actum quem exercet: Dei vero actus non recipit in se obiectum, in quod liberè tendit. Verùm voluntas nostra non est libera formaliter, quia recipit actum, sed quia illum exercet cum potestate ad oppositum. Ac si per impossibile exerceret non recipiendo, poneretque in alio; non desineret esse libera, si illum exerceret cum potestate indifferenti ad non ponendum. Cui autem diuina voluntas liberè volendo non egeat alia entitate, vel actu distincto, neque illum admittat, ratio est quia est infinita simpliciter, & infinitum velle, per se sufficiens ad omnia sine vl-

lius rei additione, habensque quicquid ad omnem actualitatem volendi necessarium est.

Tertiò considerandum est, in Dei voluntate liberè se exercente intelligendam esse determinationem, & velut applicationem ad vnum oppositorum: sed nullo modo in re distinctam ab illa. Et fatendum est quòd voluntas diuina non sit determinata ad multa, eo modo quo posset per se solam & à se esse determinata: & contra, quòd ad multa determinata sit, volendo, aut nolendo, aut non volendo efficaciter, circa quæ poterat aliter se habere, & non esse ita determinata. Sed hæc omnia per purum vsum, similem exercitio voluntatis creatæ, sine accessu vel decessu entitatis distinctæ, ob rationem suprà dictam. Tamen vsus vere realis est. Nam Deus verè & à parte rei vult quæcunque liberè vult, sicut verè & à parte rei cognoscit intussecè, quæcunque contingenter cognoscit.

Quartò denique considerandum est res ipsas creatas seipsis esse sufficientes ad se habendum diuersimodè sine accessu nouæ entitatis, aut entitatis quomodocunque distinctæ à parte rei. Suppono enim id quòd alibi fusè probandum erit, modos intrinsecos se habendi non distinguere realiter, aut ex natura rei, id est, vt loquuntur aliqui, distinctione reali: sed esse res ipsasmet, quæ seipsis formaliter sunt extensa, vbiata, durantes, mota localiter, seu locum succedunt, uè mutantes, & alijs modis intrinsecè se habentes. Quòd de motu locali, & de vbi intrinseco probabimus infra in tract. de Angelis: de alijs verò in tractatu de Incarnatione disput. 5. sect. 3. & sequentibus. Vnde mirus mirum videri debet, quòd voluntas diuina, infinito perfecta, sit seipsa sufficiens vt seipsa formaliter realiter velit, quidquid contingenter & liberè vult, absque accessu vllius entitatis aut entitaturæ distinctæ à parte rei, per quam Deus intrinsecè & formaliter constitutum volens. Idemque dico de scientia contingente, respectu intellectus diuini, qui pariter, ob suam perfectionem infinitam, Deo sufficit ad sciendum quidquid contingenter scit, sine accessu vllius distincti quo formaliter & intrinsecè constituitur sciens. Ac sicut ex parte creaturæ eadem res est, quæ est possibilis, antequam existat, & actu est, quando existit, habens tantum diuersum veluti statum & modum se habendi: sic ex parte Dei idem actus intellectus, & voluntatis, qui est essentialiter sentia, & volitio, seu amor omnium bonorum possibilium, odiumque & nolitio malorum: est per simplicem modificationem scientia contingens, & volitio libera eorundem obiectorum vt actu existentium, vel extitutorum.

Obijcitur præcipuè: Ea quorum vnum potest esse, non existente alio, distinguuntur à parte rei. Atqui voluntas diuina potuit esse, non existente actu libero, pura;

8. Est in illa lura determinatio

crea- seipis variè modè formaliter.

Disput. 12. sect. 6. Num. 60. & 199.

volendi creare mundum, aut saluandi Petrum. Ergo voluntas diuina distinguitur à parte rei ab illo actu libero. Ergo per illum actum liberum accedit Deo aliquid intrinsecum in re distinctum. Nam actus ille Deo intrinsecus est, vt ostendimus sect. sequenti.

Soluitur obiectio.

Respondetur, vbi est simplex modificatio, seu res seipsa realiter se habens, non est vnus & aliud: neque esse duo, quorum vnum possit esse sine alio: sed esse vnum tantum taliter se habens per se formaliter realiter, & nos per formam vno modo distinctam in re. Quod in multis euidenter probari puto ijs argumentis quæ afferemus locis supra citatis, præcipue in disputat. 5. de Incarnatione. Quare huiusmodi rei simpliciter modificata non verè conuenit quod dicitur in maiori propositione, *Ea quorum vnum potest esse non existente alio.* Neque enim ibi sunt ea, id est, duo, quorum vnum possit esse sine alio: sed est tantum vnum quid, ita se habens formaliter realiter per suam propriam entitatem. Argumentum autem propositum non est in forma. Nam in minori subsumendum erat: *sed voluntas diuina & actus Dei liber sunt ea quorum vnum potest esse, non existente alio.* Quæ minor falsa est, quia actus liber nihil est aliud, quam ipsa voluntas simpliciter modificata, & per seipsam formaliter realiter in se habens circa obiectum quod liberè vult. Cùm autem dicitur in minori argumenti propositi ab Adversarijs, male subsumpra: *Atqui voluntas diuina potuit esse non existente actu libero:* abstracta illa, ad vitandum errorem, sunt resoluenda per concreta, in hunc modum: Potuit esse voluntas diuina, & non taliter se habere vt se habuit circa mundi creationem, aut Petri salutem: concedo. Potuit esse non existente aliqua forma distincta, aut entitatura, quæ sit actus liber volendi mundum creare, vel Petrum saluare, nego. Eodemque modo respondendum est his & similibus propositionibus, quæ formantur de modis: Potest esse quantitas sine extensione: Potest esse res sine duratione: Potest esse corpus sine hoc vbi intrinseco, &c. Debent, inquam, hæc abstracta, quæ improprie vsurpantur in tali materia, resolui per concreta: Potest esse quantitas, & non taliter se habere vt sit extensa, id est, habeat partes extra partes in ordine ad locum. Potest esse res, & non permanere in esse. Potest esse corpus, & non implere seipso, hoc spatium, cui per seipsum realiter formaliter præsens est: est enim impossibile vt sit præsens formaliter per aliquid à se distinctum: sicut est impossibile vt existat formaliter per aliquid à se distinctum. Quidquid enim aliud, quomodocunque distinctum, ponatur in spatio: non est corpus illi spatio præsens, si ipsum in illo non est. Si autem corpus in illo est, est illi præsens, circum-

scripto quocunque alio quomodocunque distincto. Quare euidenter superflua est entitas, aut entitatura, vel modus in re distinctus, vt per illum fiat formaliter præsens. Quo eodem argumento, cum proportionem applicato, demonstratur euidenter esse impossibile rem vllam existere formaliter per existentiam à se distinctam.

SECTIO III.

An actus liberi addant aliquam perfectionem Deo in respectu ad rationem saltem distinctam?

IN hac grauissima difficultate varæ sunt Theologorum sententiæ. Prima est Capreoli in 1. sententiarum, distinct. 45. quæst. 1. articulo 2. Ferrariensis 1. contra Gentes, capit. 75. & 76. Molina quæst. 19. articulo 2. disput. 2. Bannis, & Cumel. ad eandem quæstionem articulo 2. Barthol. Medina, Syluestri, & aliorum Thomistarum, affirmantium actus liberos nihil addere diuinæ voluntati, aut volitioni necessariæ, nisi rationem rationis ad obiectum, in quod liberè tendit. Quæ opinio si proprie loquatur de relatione rationis, id est, de figmento intellectus concipientis esse relationem, quæ nec est, nec esse potest, velique Deum constitui formaliter liberè volentem per huiusmodi figmentum, est planè improbabilis. Etenim Deus verè à parte rei, & nullo figente intellectu, voluit liberè ab æterno, quocunque voluit. Estque euidenter impossibile Deum constitui volentem vitaliter & realiter (sicut verè vitaliter & realiter vult) per merum figmentum rationis, id est, per id, quod neque est, neque esse potest, sed concipitur quasi esset. Deinde ab æterno Deus voluit quidquid liberè voluit. Non fuit autem ab æterno intellectus vllus creatus qui relationem illam rationis fabricaret. Deus quoque non fingit entia rationis, sed nunquodque cognoscit sicuti est. Cùmque cognoscit, se liberè velle, ratione prius est liberè velle, quàm cognosci: aut saltem est ratio diuersum, neque formaliter constituitur liberè volens per hoc quoddam cognoscit se liberè velle. Cùm denique voluntas Dei libera & efficax sit causa rerum, sue immediata, vt aliqui volunt, sine potius mediante omnipotentia quam applicata: impossibile est, actum illum liberum, esse merum figmentum rationis: quia figmentum rationis, quod verè nihil est, & neque est, neque esse potest, non potest esse vera & realis causa alicuius rei. Sin autem Actores istius sententiæ aliquid aliud intelligunt, quàm ens rationis proprie dictum,

puta fundamentum aliquod istius relationis quam fingunt: non satis id explicat, neque difficultatem expediunt. Fundamentum enim illud non potest esse essentia diuina, vel volitio necessaria præcisè sumpta. Quippe quæ indifferenter & æqualiter se habet tam ad ea quæ vult quam non vult efficaciter, quam ad ea quæ vult. Quare si nihil aliud addatur, non est ratio cur concipiatur referri peculiariter ad hæc potius quam ad illa. Non potest etiam fundamentum illius relationis esse creatura: neque ut possibile: quia alioqui id conueniret omni creaturæ possibili, ac necessario conueniret: cur enim potius vnum possibile fundaret hanc relationem, quam aliud, & vnde liberè fundaret vi suæ possibilitatis absolute necessariæ? Non etiam vt futura, vel vt existens: quia quod sit existens, vel sit futura, habet ab actu libero Dei, tanquam à causa. Ergo actus liber est naturâ prior, quam creatura vt existens, vel vt futura. Ergo actus Dei liber non fundatur in creatura.

Secunda sententia est Aureoli in 1. dist. 40. articulo 1. proposit. 1. & 2. & dist. 46. articulo 2. proposit. 2. & 3. Valquez 1. p. disp. 80. cap. 2. num. 8. Arrubal. disp. 54. cap. 3. Herice disp. 16. cap. 9. & sequentibus, qui vt tueantur duo, quæ non nisi difficillimè, aut nullo fortè modo conciliari possunt, videlicet, actum Dei liberum potuisse non esse, in quantum liber est: & tamen nihil diuinum & increatum potuisse non esse: aiunt actum Dei liberum compleri formaliter per aliquid extrinsecum, nempe per denominationem sumptam à creatura, quæ aliter se habet, vel habitura est, vt actus necessarij prout ad illam terminati. Quæ denominatio, quia potuit non esse, quatenus creatura potuit non ita se habere: idcirco potuit non esse actus liber. Non quod potuerit non esse aliquid Deo intrinsecum, sed quia potuit non esse illud extrinsecum, quod adiunctum actui necessario & intrinsecum, complet determinationem formalem actus liberi: & sine quo reliquum non habet rationem actus liberi.

Hæc opinio mihi displicet, & alijs communiter: primò quia scriptura sæpissimè & constantissimè prædicat Deum liberè velle: nec vquam metaphoram indicat. Ergo debet intelligi propriè: significatque Deum propriè, non autem metaphoricè velle & impropiè, liberè velle. Si autem propriè liberè vult, non constituitur formaliter volens per aliquid extrinsecum, tanquam partem actus liberi. Nam liberè velle, est se ipsum actiue determinare, ac vitaliter tendere in obiectum: est autem impossibile, vt seipsum determinet actiue, ac vitaliter tendat in obiectum per aliquid extrinsecum. Estque manifestum in nobis, actus nostros vitales, siue liberè volendi, siue alios, esse nobis omninò intrinsecos: & quamuis tendant ad aliquid extrinsecum, velut obiectum;

non tamen per illud intrinsecè & formaliter constitui, ex toto, vel ex parte. Exempli gratiâ, actus liber amoris quo Deum prosequimur, tendit quidem ad Deum, vt ad obiectum: sed non est ipse Deus, neque ex Deo formaliter & intrinsecè constituitur, ex toto, vel ex parte. Secundò, actus Dei liber, quæ liber, id est, secundum id quod addit actui necessario diuinæ voluntatis, est causâ efficiens mutationis, quæ est in creatura: adeoque est causâ etiam denominationis in illa fundatæ. Ergo est prior naturâ tali mutatione & denominatione. Ergo non constituitur per illam formaliter & intrinsecè. Antecedens probatur, quia non solus actus necessarius, præcisè sumptus, est causâ talis mutationis creaturæ, puta, futurationis aut existentie actualis: alioqui causaret illam in omnibus possibilibus existere. Nam actus ille necessarius est amor & complacentia circa bona possible, qui æqualiter & indifferenter respicit omnia possible. Vnde vt illius solius non magis existit vnum, quam aliud: sed vt vnum præ alio existat, debet accedere volitio Dei libera & efficax. Consequentia vero patet, quia omnis causâ vera, & realis ac physica, est naturâ prior suo effectu, illique præsupponitur quoad suum esse reale & physicum, tanquam id à quo pendet effectus. Ergo si actus Dei liber est causâ mutationis creaturæ, ac denominationis, est naturâ prior illa. Ergo non constituitur per illam formaliter & intrinsecè. Implicat enim aliquid esse prius naturâ eo ipso, per quod est id quod est. Tertio, non omnes actus liberi diuinæ voluntatis causant aliquam mutationem in creatura. Ergo non possunt actus liberi Dei vniuersaliter per illam constitui formaliter & intrinsecè. Consequentia est euidentis. Antecedens probatur: quia exempli gratiâ, actus complacentiæ, quo Deus sibi complacet in bonis à se iam creatis, iuxta illud Genes. 1. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona*, actus inquam, ille nullam causat mutationem in creatura, vt manifestum est. Et alioqui abiretur in infinitum. Nam circa illud causatum à Deo, haberet Deus alium actum complacentiæ: & sic deinceps. Et tamen ille actus est Deo liber, saltem absolute, quia est circa obiectum creatum existens. Item actus quo Deus vult dare gloriam hominibus, si in gratia decederent, nullam ponit mutationem in plurimis, qui eam non assequuntur, defectu illius conditionis. Et tamen ille actus liber est. Idemque dico de alijs innumeris. Neque respondeas actum illum Dei esse causam cur Deus det media, & auxilia ad gloriam sufficientia. Respondeo enim Deum, vltra voluntatem dandi media & auxilia sufficientia, habere præterea voluntatem dandi ipsam gloriam, si per eos non staret: & illa, vt omnino distincta ac præcisâ à priori, est inefficax, nullamque ponit mutationem in creatura, vltra illam quæ per-

Non omnes actus Dei liberi causant aliquam mutationem in creatura.

priorem voluntatem posita est.

Respondent aliqui gloriam illam aliter se habere, postquam est decreta sub conditione habere enim iam rationem futuri, conditio nati: quam non haberet sine decreto, manens in statu purè possibili. Sed dico rem non propterea mutari verè & realiter ac physice: cum tamen Deus verè realiter ac physice velit: sed tantum est aliquid mutatum iri realiter, si ponatur conditio quæ non ponetur, sine qua non fiet mutatio realis, id est, collatio gloriæ.

14.
Impugnator amplius
contra istam
sententiam.

Plura contra hanc sententiam & superiorum congerit Ruis disp. 11. quorum præcipua hæc sunt. Si Dei volitio efficax & libera non est aliud, quam necessaria complacentia bonorum possibilium, addita relatione rationis, vel extrinseca denominatione, vel connotatione futuræ productionis ad extra: similiterque si præscientia futurorum non est aliud, quam simplex intelligentia possibilium, addita relatione, seu connotatione: sequitur quod diuinam præscientiam non posse falli nulla prorsus laus foret præscientiæ, neque perfectio illius: quoniam illius infallibilitas in eo formaliter atque præcisè consisteret, quod relatio rationis, vel extrinseca denominatio, seu connotatio, non posset esse alia, nisi quæ resulat à futuris actionibus. Quod si aliæ futuræ fuissent actiones: aliæ relationes, seu denominationes, aut connotationes resularent. Itaque nulla representatio futuritionis daretur in Deo, quæ non posset à futuritione discordare: sed sola denominatione, vel relatio rationis, à futuritione resulans, est quæ non potest à futuritione discordare. Secundò, volitionis diuinæ absolute efficacis insuperabilis & inevitabilis efficacitas, quæ semper impletur, & quæ frustrari nulla ratione potest, cuique nemo resistere potest, evanescit, & quod tantopere de illa prædicant Scriptura & Patres, vanum est & adulatorium, si Dei volitio efficax non est ad unum effectum realiter determinata per increatam & immanentem determinationem. Sequela probatur, quia si talem determinationem non habet, est indifferens, quantum ex se est, ad utramque partem contradictionis, sicut est indifferens simplex complacentia omnium possibilium. Cuilibet autem volitioni prorsus indifferenti, quantum ex se est, & prorsus est prior operatione ad extra, nemo potest resistere impediendo quod vult facere: quia nihil determinatè vult facere: iam verò quando volitionem efficacem sumis, determinasque ad unum obiectum per relationem rationis, vel extrinsecam denominationem, seu connotationem operationis ad extra: supponis eo ipso iam prius esse factam, vel futuram aliunde, eam operationem quam vult. Ideoque nulla est laus efficacitatis diuinæ volitionis, quia postquam supponitur operatio iam facta, vel futura aliunde: contra-

ditionem implicat eam non fieri, vel impediri efficaciter ut non fiat.

Propter hæc argumenta ceteri Theologi communiter docent actum liberum Dei, sumptum integrè formaliter, esse quid reale intrinsecum Deo. Formaliter, inquam: nam obiectivè potest aliquid extrinsecum ad ipsum pertinere, id est, esse obiectum ad quod voluntas liberè terminatur, vel ad quod actus eius intrinsecus liberè tendit. Ita Gregorius Ariminensis, Caietanus, Suares, Henriquez, Fonseca, Valentia, Selas, Albertinus, Cabrera, & alij, quos refert & sequitur Ruis disp. 11. sect. 3. num. 6. ubi dicit cum omnibus illis Theologis, formalem rationem liberæ volitionis in Deo esse perfectionem realem & increatam, totamque ab æterno ex parte Dei existentem: Ita ut eius integritas, aut constitutio, vel complementum, nullo modo includat denominationem extrinsecam ab obiectis creatis, nec relationem rationis ad illa: sed hæc relatio, vel denominatio consequatur liberam Dei volitionem, integrè, complete perfectèque constitutam. Omissis autem alijs improbabilibus, tres sunt præcipui modi, quibus explicatur à varijs Theologis liberum illud reale & intrinsecum.

Primus explicandi modus est Caietani 1. p. q. 19. art. 2. & 3. nec non 3. p. q. 1. art. 1. aientis actum liberum Dei esse realem perfectionem liberam, quæ Deus potest carere: quamvis cum habet, non est propterea perfectior intentione: quippe qui totam illam perfectionem eminentissimè continet in natura: sed extensivè tantum. Idem ferè docent Fonseca tom. 3. Metaphysicæ lib. 7. cap. 8. q. 5. sect. 4. Licet, ut verbo tenus à Caietano discedat, neget actus liberus Dei esse perfectionem: Et Dela- las 1. 2. tract. 3. disp. 1. sect. 8. §. 7. num. 104. & sequentibus. Consentit etiam Henriquez 1. 1. de fine hominis cap. 3. num. 2. in glossa, nr. A. Item Franciscus Juniga disp. 9. de Trinit. dub. 6. num. 4. ubi ait scientiam diuinam terminari ad contingentia, ita ut terminari ad illa non sit aliquid rationis, aut extrinseca denominatio sumpta ab obiecto, sed intrinseca conveniens Deo ab intrinseca perfectione reali. Et dub. 7. membro 2. num. 2. ait scientiam visionis esse perfectionem realem intrinsecam Dei, quia non respicit contingentia respectu rationis aut extrinseca denominatione, sed alio quo intrinseco, quamvis non diverso, si respicit simpliciter intelligentia quæ respicit possibilium. De volitione autem simili modo philosophandum est, coherentè loquendo. Granado verò tractat. 3. de voluntate Dei disp. 5. sect. 1. num. 1. referens Caietani sententiam, ait Doctores Recentiores ei subscribere, & reverà niti firmissimè fundamentis. Suares denique disp. 190. Metaphys. sect. 9. num. 11. relatis pro Caietani opinione, argumentis, ait illa si puram

volitio alicuius creaturæ: quamvis ad sit tota illius volitionis perfectio.

19.
Tertius
modus.
Reinaud.
Marat.

Tertius modus explicandi est Maratij disp. 3. sect. 3. & Theophili Reynaudi in Theologia naturali dist. 8. q. 2. art. 4. num. 83. & sequentibus, afferentium diuinum velle liberum, esse ipsummet actum Dei, necessarium quoad esse, & liberum tantum quoad terminari. Quod quomodo fiat paulò aliter quam Suarez, exponitur ab illis in hunc modum: Quod nimirum sicut voluntas creata seipsam liberè determinat ad hunc actum infernum & immediatum elicendum, præ alio quem æquè poterat elicere, absque vlla mutatione ex parte actus primi: ob solum privilegium causæ liberæ, quæ eodem modo intrinsecè se habens in actu primo, ponit hunc actum præ alio, prout vult: & licet sit necessaria quoad suū esse: neque enim ipsi est liberum ut sit: est tamen libera quoad producere actum vel non producere: Ita diuinus actus terminatur quidem ad obiecta creata per aliquid sibi intrinsecum: terminatur enim per seipsam: sicut voluntas creata per seipsam actum infernum elicit. Hoc tamen intrinsecum, quamvis ut entis quædam, non possit non esse: nihilominus idem manens, & necessariò existens, potest non esse terminatum ad hoc obiectum, vel esse terminatum ad illud. Confirmatur, quia liberis diuina habet id quod est perfectio in libertate creata, sublata imperfectione: perfectio verò creata libertatis est ut liberè terminetur ad obiecta non necessaria, id est, non infinite perfecta simpliciter, ut est Deus, vel non habentia necessariam connexionem cum obiecto infinite simpliciter perfecto, sicuti habent bona possibilis, ut talia, cum Deo: Quod verò libera sit ad elicendos actus vitales à se distinctos & immanentes, per veram & realem causalitatem, imperfectionis est. Arguit enim limitationem voluntatis, potentialitatem physicam, & compositionem accidentalem ex actu primo & secundo. Quare Dei libertas non in eo consistit, quod possit elicere, vel non elicere actum infernum volendi aut nolendi: sed quod per idem velle essentiali, ac necessarium, possit liberè tendere in hoc aut illud obiectum. Hæc illi breuiter, quæ fuse & clarè prosequitur Maratius loco supra citato.

SECTIO IV.

Expenduntur tres explicandi modi supra relati, & probabilior sententia defenditur.

20.
Difficultates
circa
tertium
modum.

IN his tribus explicandi modis, multa sunt difficultates. Ac primò contra tertium obijciuntur, verum quidem esse modò potentia actiuam non mutetur præcisè ex eo quod producit suum effectum: quodque intrin-

secè eadem, & eodem modo intrinsecè manens in actu primo, aliter tantum se habeat ad extra, id est, ponat vi sua immediatè effectum quem antè non ponebat. At velle diuinum liberum, quæ tale formaliter in actu secundo, non est agere: sicut etiam velle nostrum formaliter in actu secundo; id est, esse volentem actum, non est præcisè elicere volitionem: sed est per liberum affectum tendere in obiectum, & ad illud terminari. Itaque Deus non tantum facit obiecta, quæ vult efficaciter; sed etiam liberè illa vult: estque illud velle liberum ratione distinctum ab effectione: & Scriptura de illis ut de distinctis loquitur, cum ait Psal. 113. *Omnia, quacunque voluit Dominus fecit, in celo, & in terra.* & Ephes. 1. *Operatur omnia secundum consilium* (id est decretum liberum) *voluntatis suæ.* Et Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret.* Nisi enim volitò libera, & operatio, ratione saltem distinguerentur, sensus primi loci is esset, omnia quacunque voluit Deus, voluit: vel, omnia quacunque fecit Dominus, fecit. In secundo sensus esset, operatur omnia secundum operationem voluntatis suæ: vel, vult omnia secundum volitionem liberam voluntatis suæ. In tertio diceretur, Sic Deus dedit filium suum unigenitum modo per operationem actus necessarij suæ voluntatis, ut filium suum unigenitum daret. Cum igitur volitio Dei libera non sit formaliter tendentia voluntatis diuinæ, aut velle diuini necessarij, ad creaturam, quasi immediata illius productio per simplicem vltimam suæ virtutis: sed sit affectus liber internus, mouens Deum ut producat creaturam, si loquamur de actu libero efficaci circa creaturas producendas, & prior illà productione: superest explicandum quid sit ille affectus, Deum sic mouens? Cumque ille non sit actus voluntatis diuinæ necessarius, præcisè sumptus, quippe qui potuit esse secundum totam suam perfectionem intrinsecam, absque eo quod Deus liberè vellet producere creaturas: queritur quid aliud sit, & quidem intrinsecum & reale? Nam iuxta hanc sententiam actus liber est adæquatè intrinsecus & realis. Quid, inquam, sit illud, quo Deus constituitur liberè volens formaliter & liberè affectus efficaciter ad producendas creaturas? Quod quia liberum est, potuit non esse: seu potius, Deo potuit non taliter se habere ad creaturas. Cumque sit aliquid Deo intrinsecum & diuinum: sitque actus liberalitatis, aut magnificentis, vel alterius virtutis, non potest non esse aliqua perfectio tum physica, tum etiam moralis. Quare cum hæc explicatio conatur recedere à Caietano, inuista reuoluitur ad scopulum quem vitare contendit.

Contra secundam explicationem, quæ dicitur esse inuelligibile, præcisè quod aliqua forma necessariò insit aliqui

subiecto, secundum suam omnem perfectionem. Et tamen non communicet illi omnem suum effectum formalem: cum effectus formalis non sit aliud quam forma ipsa ut communicata subiecto, vel totum constitutum ex illa & ex subiecto. Actus autem diuinus necessarius, & essentialis, conuenit Deo necessario secundum omnem suam perfectionem intrinsecam & realem, quippe quæ tota necessaria est. Ergo communicat illi (ut humano modo loquamur) omnem suum effectum formalem. Neque refert quod velle illud diuinum necessarium, sit infinitum & illimitatum in genere appetitus. Nam de forma infinita, non minus quam de finita, est euidenter impossibile non conferre totum suum effectum formalem subiecto, cui tota secundum omnem suam perfectionem communicatur: posito quod effectus formalis nihil sit aliud quam forma ipsa ut communicata subiecto, quemadmodum omnes fatentur. Secundo, si actus necessarius diuinæ voluntatis non communicat Deo totum effectum formalem, quem potest communicare: ergo non est aliqua communicatio & informatio, quæ esse potuit: & aliqua iam est, quæ potuit non esse: vel, quod eodem redit, est nunc aliquis effectus formalis qui potuit non esse: & non est aliquis qui potuit esse. Et negari non potest, quin illa informatio vel effectus formalis, sit aliqua perfectio, siquidem est diuinum quid, id est, aliquid reale & intrinsecum Deo, ut fatetur Suares, estque actus excellentis virtutis. Ergo hæc sententia reuoluitur tandem, ut prior, ad opinionem Caietani, quam tamen acriter impugnat Suares, & reprehendit in eo, quod admittit aliquam perfectionem liberam Deo intrinsecam, quæ non esse potuerit. Idemque dico de alijs quibusdam explanationibus ab Herice relatis, & expensis disput. 16. capite 6. 7. & 8. quæ parim multa falsa & intelligibilia supponunt: parim verbis tantum differunt à tribus supra relatis.

22. Confirmatur, quia vobis Suares vult aliquid esse reale intrinsecum, præter actum necessarium, quo Deus constituatur formaliter liber: volens: vel vult nihil esse intrinsecum præter solum actum necessarium præcisè: intrinsecum, inquam, quia non est questio, an sit aliquod obiectum extrinsecum, in quod actus liber tendat. Si primum: habemus intentum. Si secundum: ergo Suares potest aliquid effectum realem formalem, sine forma à qua sit. Nam, ut ipse fatetur, denominatio intrinseca actus liberi non est præcisè ab actu necessario, qui quatenus necessarius est, indifferenter se habet ad omnia creabilia: & non est aliud reale intrinsecum Deo, à quo proveniat illa denominatio. Respondebis Suares, addi liberam terminationem ad obiectum. Sed quid est illa terminatio

libera præter obiectum? Quid est, inquam, quoad illud quod est Deo intrinsecum? Non enim est solus actus necessarius, præcisè sumptus. Ergo est aliquid aliud reale intrinsecum: vel ponitur illa denominatio intrinseca, sine forma intrinseca à qua sumatur. Ab his certè expedire se nequeunt Auctores huius sententiæ iuxta sua principia: & manifestè in eos retorqueri possunt ea quæ contra Caietani expositionem primo loco allatam obijciunt.

Propter quæ censo illam esse alijs præferendam tanquam probabiliorē, & magis sibi coherentem, dum modo bene intelligatur, prout à nobis in solutione obiectionum explicabitur. Quæ sententia est etiam Fonseca, Dosallas, Cumer, Henriquez, Cuniga, & aliorum plurimum, ut ostendimus num. 15.

Opponit autem contra illam Suares citatâ disp. 30. sect. 9. numer. 11. & sequentibus. Primò ex illa Caietani sententia multas imperfectiones tribui Deo. Vna est, quod Deus sit capax additionis perfectionis, & quod hæc additio ex parte facta sit in æternitate, ex parte verò non sit facta, sed maneat in Deo illa capacitas non reducta ad actum. Altera est, quod ille actus liber, qui in suo ordine concipitur ut secundus & vltimus, ita ut secundum propriam & realem perfectionem possit non esse in Deo, & consequenter simpliciter non esse, actus, inquam, ille hoc ipso includit negam imperfectionem. Quæ enim manifestior esse potest, quam posse non esse? Tertio, necesse est ut talis actus sit actualiter in re ipsa distinctus à diuina voluntate, saltem vt modus, verè distinctus in re ipsa à re modificata. Nam hic actus dicitur addi realiter diuinæ voluntati. Additio autem realis sine distinctione in re intelligi non potest, tunc præsertim quando additio talis est, ut posse non fieri. Quarto, vterius necesse est vt voluntas diuina comparetur ad talem modum, ut vera potentia actiua, & passiua, ad suum actum distinctum, immanenter elicatum. Neque enim obest, quod modaliter tantum distinguatur. Nam etiam modi ex natura rei distincti, per veram efficientiam producuntur. Sequitur denique talem actum esse verum accidens diuinæ substantiæ: quippe à qua potest abesse & adesse, estque extra totam Dei substantiam, quæ sine illo esset integra & consummata substantia. Quare productio huius actus, non solum erit effectus, id est, productio effectus qui potuit non esse: sed etiam imperfecta, nempe productio accidentalis.

23. Ad hæc Respondeo primò indirectè, retorqueri posse omni in illum effectum formalem, per quem Suares explicat actus liberos diuinæ voluntatis. Nam iuxta Suaris philosophandi modum, Deus est capax additionis illius effectus formalis, qui perfectio quædam est, cum sit diuinum quid, &

Tertius
modus præ-
feratur, &
refutatur
obiectiones

23.

24.
Solu-
primū ad
gumea.

TINO
US
PART
VT
U.

actus eximie virtutis. Itē ille effectus formalis potuit non esse in Deo, & consequenter debet ista doctrinam Suaris, à Deo distingui ex natura rei: & voluntas diuina ad illum comparatur vt vera potentia actiua & passiuā, tanquam ad verum accidens distinctum à substantia Dei, quæ tota sine illo esse potuit. Quare Suares non vitat incommoda, quæ nobis objicit.

Secundò directè, & in particulari, ad primum Respondeo, Deum non esse propterea capacem vt illi adatur perfectio distincta in re: sed per eandem simplicem entitatem, sufficientem vt diuersimodè se habeat, potuisse ad objecta contingentia aliter se habere per intellectum & voluntatem, quàm re ipsa se habuit: & quàm ei sit essentia se habere. Quemadmodum ea quæ simpliciter modificantur, id est, tali quopiam modo se habent, non propterea recipiunt additamentum alicuius formæ, aut reclusæ ex natura rei distinctæ: sed se solis sufficienter vt taliter se habeant intrinsecè. Exempli gratia, Res quælibet durat seipsa formaliter, eo solo quòd non definit esse: semota re vel ratione, omni alia forma vel reclusæ distincta: & mobile mouetur, eo solo quòd per seipsum formaliter implet successivè diuersa spatia: ad quod planè impertinens & superflua est res vel reclusa distincta à mobili, ipsique intrinseca, vt ostendemus in tract. de Angelis disp. 42. sect. 6. & 7. & fusiùs in disp. 5. de Incarnatione sect. 6.

25.
Diluitur
secundum

Ad secundum Respondeo actum illum non esse conspiciendum vt formam re vel ratione mutud præcise, & adæquatè distinctam à voluntate diuina, vel ab eius actu necessario: ideoque locutiones quæ de illa fiunt in abstracto, sunt minus propriæ, & per concreta sunt resoluendæ: sed esse ipsam voluntatem, vel ipsamet actum necessarium, qui per seipsum tali modo se habet ad objectum contingens, quomodo potuit non se habere. Vnde actus liber quoad totam suam entitatem realem, est simpliciter necessarius, & non potest non esse: quia non habet aliam entitatem, quàm ipsius voluntatis, aut actus necessarij: potuit tamen ille actus per eandem entitatem necessariam non ita se habere, vt se haberet ad objectum ad quod liberè tendit.

Ad tertium, nego antecedens. Ad cuius probationem dico improprie & falso assequi hunc actum addi realiter diuinæ voluntati. Proprie enim & verè loquendo, non additur aliquid realiter diuinæ voluntati nisi intrinsecum, quo constituatur liberè volens: sed sine vilo reali addito voluntas per seipsam formaliter tali modo se habet, tenditque in objectum eo modo, quo potuit non tendere.

26.

Ad quartum, nego assumptum intellectum de potentia physicè productiua, & passiuā. Nam vt alibi ostendemus, modi simplices non producuntur, neque recipiuntur

in re modificata vt in subiecto: sed sunt ipsamet res per seipsam formaliter ita se habens, sine cuiusquam intrinseci productione aut receptione. Dices tamen modi simplices non producuntur, neque recipiuntur, fiunt tamen actione vera & physica. Nam motus localis v. g. fit per veram & physicam actionem. Respondeo primò non dari actionem ad omnes modos. Nam ad actionem non datur actio, alioqui proceditur in infinitum. Actio autem est aliquis modus agentis, non quo se ipsum immutat, sed aliud, quod agit. Duratio quoque non fit noua actione: sed tum res, tum actio ipsa, seu prima productio rei, durat formaliter hoc ipso quod non definit esse. Similique modo potest voluntas diuina, vel actus eius necessarius, modo quodam perfectissimo liberè tendere ad objecta contingentia, & tali quopiam modo circa illa se habere, sine actione physica, v. g. cuius taliter se habeat.

Ad quintum, nego sequelam. Est enim ille actus ipsamet Dei substantia, per seipsam sufficiens formaliter vt tali modo se habeat. Quare non est accidens verum & physicum: sed tantùm est Deo accidentale logicè, taliter tendere per voluntatem in objecta, eo scilicet modo quo potuit non tendere.

Opponit secundò num. 20. & sequentibus, esse impossibile quòd aliqua duo absoluta ita se habeant, vt vnum possit existere alio non existente, & tamen quòd in se non distinguantur. At diuina voluntas, & hæc perfectio libera, quæ dicitur illi addi, ita se habent: ergo &c. Confirmatur, quia si loquamur de actibus liberis, qui potuerunt esse in diuina voluntate, & de facto non sunt: necesse est voluntatem diuinam distingui ab illis, vt ens à non ente, vel tanquam ens actu ab ente possibili: quæ distinctio non est conficta per intellectum, sed in rebus ipsis conspiciuntur. Vnde etiam illa duo distinguuntur maximè secundum essentiam: quia voluntas habet essentiam actualem absolutè necessariam: perfectio autem libera habet essentiam possibilem & absolutè contingentem. Res autem contingentes sunt eiusdem essentia, siue existant, siue non. Quare illa perfectio libera, siue existat, siue non existat, habet eandem essentiam, & eandem distinctionem ab essentia diuinæ voluntatis.

Respondeo primò indirectè, totum hoc argumentum eadem vi retorqueri posse contra sententiam Suaris explicantis actus liberos Dei, per liberam informationem, aut effectum formalem actus necessarij, qui non necessarid informat quantum potest, neque tribuit omnem effectum formalem, quem tribuerè aptus est: sed potuit non tribuere eum quem tribuit, & tribuere infinitos quos non tribuit, circa objecta non necessaria. De hoc igitur effectu formali

liberū dicam similiter, esse impossibile quod aliqua deo absoluta ita se habeant, ut vnum possit existere, alio non existente, & tamen quod in re non distinguantur. Voluntas autem diuina, & effectus ille formalis liber, ita se habent: ergo &c. Item effectus illi formales liberi, qui potuerunt esse in Dei voluntate, & de facto non sunt, debent necessariò distinguì à voluntate, ut non ens ab ente. Ergo ex natura rei distinguuntur, & secundùm essentiam. Ergo si existere, pariter distinguerentur: quia si existere, haberent eandem essentiam.

Secundò directè Respondeo, voluntatem diuinam liberè tendentem in objectum, non esse duo absoluta: sed esse rem vnicam & simplicem, quæ seipsa, & sine additione vllius intrinseci distincti, sufficiens est ita se habere. Quemadmodum res ipsæ creatæ sunt sufficientes ut multis modis se habeant, absque accessu vllius distincti à parte rei, intrinsecè aduenientis. Et quamuis possit res esse, & non tali modo se habere: non propterea potest vnum existere, alio non existente: quia, ut dixi, non est vnum & aliud: sed tantùm potest res non tali modo se habere, quo se habet per suammet entitatem ad hoc sufficientem, neque indigentem accessu vllius distincti ut taliter se habeat: ut ostendimus disp. 5. de Incarnatione, sect. 6. & 7. vbi doctrina de modis explicabitur, quæ hic obiter explicari sufficienter & confirmari nequit. Patet benignus Lector tam grauem difficultatem suam in locum remitti. Similiter licet voluntas diuina non tendat ad multa objecta, eo modo quo potuit tendere: non propterea debent concipi duo, quæ distinguantur, tanquam ens à non ente: vel tanquam ens necessarium per essentiam, & ens contingens per essentiam. Tantùm enim est vnum ens, & vna essentia voluntatis, quæ per seipsam tenderet aliter in objecta, si vellet. Sicut res creatæ seipsis formaliter durant, extenduntur, mouentur, quiescunt &c.

Opponit tertio, sequeretur primò aliquid quod ex se nihil est, & re ipsa posset manere sub nihilo, quæ verè formaliter ac essentialiter Deum: & è conuerso, aliquid quod nunc est verè & essentialiter Deus, tale esse, ut absolute quicquid posset non esse. Hoc autem, maximè pugnat cum Deo. Quia cum Deus sit ens per se necessarium, & hoc sit maximè proprium eius, & in quo primariò distinguatur à quolibet alio ente, impossibile est quod aliquod ens liberum sit essentialiter Deus. Secundò, sequeretur perfectionem diuinam realem, prout nunc est, in rerum natura, talem esse ut partim necessariò sit, partim potuerit non esse. Quod admittere non minus est absurdum in simplici entitate, quam per modum compositionis. Imò maiorem inuoluit repugnantiam quod vna simplex entitas, in vno si-

mplicitissimo esse, includat illas duas conditiones, necessitatis essendi, & potentie ad non essendum. Nam si illa entitas habet vnum simplicissimum esse: ergo ipsum illud ab intrinseco est necessarium, & prout tale est, est de essentia illius entitatis. Ergo impossibile est ut illam entitas, secundùm idem omnino esse reale, sit ens contingens quantum ad aliquid, quod absolute posset non esse & manere sub nihilo.

Respondeo primò, hæc duo incommoda, quæ Suares deducere conatur, manifestè reijci posse in ipsius sententiam de informatione libera, aut effectui formali non necessario, quem Suares fatetur non distinguì à Deo ex natura rei, & quem negare nequit esse aliquam perfectionem, ut saepius probauimus. Nam talis informatio, vel effectus formalis contingens & liber, potuit non esse, iuxta Suaris argumentandi modum: & tamen est verè formaliter essentialiter Deus. Item est aliqua perfectio non necessaria: indistincta tamen à perfectione Dei necessaria, id est, ab actu necessario diuinæ voluntatis, ut fatetur Suares.

Secundò respondeo directè, actum liberum Dei non esse aliquid, quod ex se nihil sit, & re ipsa posset manere sub nihilo, sed esse aliquid: cuius entitas est absolute necessaria, quamuis possit non tali modo se habere ad objecta. Similiterque perfectio diuina, quoad formam suam entitatem, est absolute necessaria: Licet eadem entitas non necessariò se habeat ad objecta tali vel tali modo, potueritque non ita se habere: neque propterea cum ita se habet, aliquid illi distinctum & intrinsecum adueniat: sed se ipsa sufficit ut taliter tendat in objecta. Et de hac difficultate hactenus. Alia enim quæ contra eandem nostram expositionem opponunt Herice disp. 16. cap. 4. & alii Recentiores, coincidunt cum superioribus, & quatenus nobis nocere conantur, ex dictis facile solui possunt.

SECTIO V.

Utrum omnes actus liberi diuinae voluntatis sint ab æterno, & sint immutabiles?

Conclusio affirmatiua patet ex dictis disp. 6. sect. 1. vbi partim ex Scriptura, partim multis Sanctorum Patrum testimonijs, probauimus Deum nihil incipere velle in tempore: sed ab æterno & in æternum inuariabiliter & immutabiliter velle quicquid vult. Ibidemque sect. 2. ostendimus quomodo libertas cum immutabilitate Dei stare possit. Superest ut respondeamus argumentis aliquorum Recentiorum, qui sententiam tam communem & tam certam impugnare ausi sunt, deque cognitionibus Dei contingentibus simili modo philosophantur.

33.
Omnes actus liberi diuinae voluntatis sunt ab æterno.

Ac primo dicunt, Deum licet ab æterno sit cognitio apprehensiva cuiuscunque cognoscibilis: posse tamen in tempore incipere esse iudicium aut volitionem alicuius, cuius antea non erat iudicium nec volitio. Quæ sententia, inquit, teste Gillio lib. 2. tract. 8. cap. 9. est plurium Doctorum: & hanc in terminis tenuit Antonius Delphinus quem citat Reinaud. in Theolog. natural. dist. 8. quæst. 2. num. 78. Item Maior. in I. dist. 39. quæst. vnica propositione 4. vbi sic habet: Si Socrates sedeat, iam Deus scit Socratem sedere, & est iudicium verum illius, & non est iudicium illius contradictorij. Sed si Socrates protinus surgat, vel aliter se disponat, quàm sedendo: iam Deus incipit scire hanc, & esse iudicium eius, Socrates non sedet: & desinit scire hanc affirmationem, quam antea sciebat. Idem, inquit, docet Ruuion. dist. 39. quæst. 1. vbi sic habet: Cum in diuina scientia non sit receptio, per consequens Deus illa quæ non sunt facta, non intelligit esse facta: nec facta intelligit non esse facta. Ergo aliquod verum intelligit nunc à Deo, quod non fuerat antea intellectum. Idem denique docet Gabriel. dist. citat. quæst. vnica, vbi ad illam objectionem, Deus aliquid de nouo cognoscit, quod prius non cognouit: ergo est vicissitudo in cognitione diuina: distinguit. Si sermo sit de cognitione simplici, nego antecedens. Si de cognitione iudicatiua, concedi potest. Quia de nouo iudicat propositionem veram, quæ de nouo vera est. Et negat consequentiã quia nullus est noua cognitio in Deo, sed eadem est iudicatiua, quæ prius non erat iudicatiua. Sic ille. Non est autem de actibus voluntatis in eo disparatio.

Ruuion.

Gabriel.

35.
Deus nihil
de nouo
cognoscit.

Respondeo primo, sententiam illam, quod attinet ad cognitiones contingentes, facere Deum ignarum ab æterno plurimarum veritatum, quas in tempore tantum cognoscit. Si enim tantum apprehendit, & non iudicauit ab æterno Socratem, v. g. sedere hoc tempore: ignorauit ab æterno hanc veritatem, quæ tamen erat scibilis, Socratem nimirum sedere hoc tempore. Facit etiam cognitionem Dei crescere, prout multiplicantur obiecta de quibus Deus noua iudicia format. Item facit Dei iudicium continuò variari. Nam Deus ab æterno iudicauit: scilicet Incarnationem esse futuram vsque ad tempus quo exiit. Neque enim sine hæresi manifesta negari potest Deum, præscire futura. Erat autem propius futura continuò, quod magis accedebat tempus in quo reipsa exiit: ergo Deus continuò variabat iudicia quibus cognoscebat nunc distare minus quàm antea, sicut de nouo verum erat, quod tunc minus quàm antea distaret. Similique modo variaret semper sua iudicia circa, Incarnationem vt præteritam, prout semper desiceps à longiori & longiori tempore exhibita est, sed est plus ac plus temporis fluxit ab Incarnationis exhibitione.

Respondeo secundo, Gillium loco cit. non asserere sententiam illam, esse plurium Doctorum: sed tantum ait n. 6. non defuisse Theologos qui verbo tenus admitterent mutationem in intellectu & voluntate diuina pro diuersitate temporum ad quæ referri possunt. Ita vt v. g. antequam Verbum incarnaretur, Deus vellet incarnari, nunc autem id non velit: Et antea sciret esse incarnandum, nunc autem id non sciat, quia nunc falsum est, sed sciat esse incarnatum, quod tunc nesciebat. Quam mutationem, inquit, reducant ad diuersa connotata. Nam cum actus liberi Dei compleantur connotatione, siue respectibus ad obiecta ad quæ referuntur: mutatis obiectis, ipsi quoque actus mutantur. Pauld post xerò num. 7. concludit non esse vllò modo dicendum, voluntatem vel intellectum diuinum mutari: & mutationem quam fingunt præfati Auctores, esse tantum Grammaticalem. Siue autem illi Auctores quorum confusè tantum meminit Gillius, sint iidem cum paucis nominatim supra citatis, vt ego existimo, (quia nullus alius Catholicorum refertur deflexisse hac in parte à communi sententia) siue non: dico præferendos esse paucis Nominalibus, qui non raro liberius quàm par sit opinantur, omnes alios Theologos, & sanctos Patres, contrarium sentientes, & Scripturam in eum sensum accipientes, vt ostendimus citata disp. 6. sect. 1. Denique idem Gillius pauld post cap. 10. num. 1. affirmat, omnes negare fieri posse, vt deur aliqua vicissitudo penes actus Dei liberos, id est, vt ipse postea exponit in decursu capitulis, aliqua etiam nouitas, aut cessatio actuum liberorum.

Respondeo tertio, Reinaudum loco citato plusquam dubitare, num Antonius Delphinus, vir Catholicus, ita senserit, & eò vsque progressus sit, vt affirmauerit Deum tantum de facto incipere velle aliqua prius non volita: & desinere velle alia ante volita, posseque actum volitionis suæ suspendere ac permutare. Quæ, inquit, mihi incredibile ferè est à viro Catholico, & docto, ac Religiosæ familiæ Præposito assera esse: res verò talij Nominales sunt, id est, vt supra dixi, in opinando liberiores: quorum primus Ioannes scilicet Maior sine alia probatione assumit illud ipsum quod in quæstione est. Ruuionis, verò consequentiã est vitiosa, & malè deducta. Gabriel denique non citatur fideliter, & sibi aperte contradicit, si ait, Deum de nouo iudicare, & tamen non de nouo cognoscere. Quasi verò iudicare formaliter non sit cognoscere & intelligere: adeoque non sit planè impossibile iudicare de nouo, & non cognoscere de nouo. Sane evidens est aliud cognoscere, & intelligere illum qui tantum apprehendit significationem horum terminorum, Deus est trinitus in personis, & illum qui iudicat & asseritur Deum esse trinum. Et si Deus aliquid reuelaret se esse prædestinatum, cognos-

secret

ceret hanc veritatem, quam antea non cognoscebat, quamvis terminorum significationem apprehenderet.

38. Aiunt secundò suam sententiam probari apertis Scripturæ testimonijs, si terminis nulla vis inferatur. Primò enim Deus per Ieremiam capit. 18. v. 9. sic Iudæis spondet: *Si penitentiam egeris gens illa à malo suo: agam & ego penitentiam super malum quod cogitavi facere ei.* Hoc est: revocabo sententiam de malo inferendo. Quod si Deus non sit liber ut de nouo velit, pollicetur se volurum id quod etiam posita conditione, quæ poni possibilis est, non posse velle. Similiter, si priùs noluit: frustra minas intonat, cum non possit, etiam conditione posita, nolle malum. Sic enim subdit vers. 10. *Si fecerit malum in oculis meis: penitentiam agam super bonum quod locutus sum ut facerem ei.* Secundò, inquit, hanc sententiam supponit Psalmista, cum ait Psalm. 6. *Conversere Domine & eripe animam meam.* Et Psalm. 8. v. 7. *Deus tu conversus vivificabis nos.* Et Psalm. 89. *Convertere Domine usquequò, & deprecabilis esto super seruos tuos.* Et Ierem. 2. v. 15. *Deus sic loquitur, Cum evulsero vos convertar, & miserabor eorum.* Et Ioc. 3. v. 8. *Convertetur vir à via sua mala: quis scit si convertatur, & ignoscat Dominus?* Hæc autem, inquit, male solvi videntur, cum dicitur ibi Scripturam de Deo loqui ut de homine. Nihil enim cogit ita torquere sensum Scripturæ, cum in terminis verus esse possit. Quando verò ait, *Penitentiam agam*: rectè verbo ad verbum reddendo sensum, intelligi potest: habebò voluntatem aliam, seu alterius: hoc enim significat *Exaudi me Domine & miserere mei*: sed, *Viam exaudieris me, & miseris sis mei*: non precando, sed exoptando. Hæc illi.

Explicatur loca scripturæ quæ videntur Deo tribuere vniuersitatem.

Origenes

Ad quæ Respondeo primò, non esse verum dicere vim inferi Scripturæ quando ponitur eo sensu quo Sancti Patres communiter eam exponunt. Hoc enim est contra Tridentinum sess. 4. Parag. *Præterea ubi ad coercenda, ut ait, peccantia ingenia, decernit ut nemo contra vnanimum consensum Patrum Scripturam sacram interpretari audeat.* Secundò, ad omnia Scripturæ loca citata Respondeo verbis Origenis homilia 23. in Numer. longè ab initio. *Hæc omnia tropico & humano more accipienda sunt ab scriptura dici. Aliena est porro diuina natura ab omni passionis & permutationis affectu, in illo semper beatitudinis apice, immobilis & inaccessa perdurans.* Ad scripturam autem sic explicandam cogit consensum Sanctorum Patrum, quorum plerimòs citauimus d. p. 6. sect. 1. & immutabilitas diuina qualem Scriptura diuina secundam sensum eorundem Patrum explicata commendat, locis ibidem relatis. Tertio respondeo Lutheranis fauere expositionem illam verbi *Exaudi me* pro mutare voluntatem præcisè: et sequi omnibus Catholicis aduersam, qui

Tomus. I.

meritò contendunt, plus eo verbo significari in Scriptura, & verbo, *penitere*, aut, *penitentiam agere*, Græcæ voci respondere in versione vulgata, ut videre est apud interpretes D. Thom. 3. p. initio q. 82. & Bellarm. lib. 1. de penitentia, capit. 7. Neque propterea debuit Psalmista definire postulare à Deo effectus illos suæ misericordiæ, quos non decreuit ei dare nisi sub conditione quòd peteret, & præuisis ipsius precibus. Hoc etiam non impedit quin Deus per verba promissoria, vel comminatoria, possit enunciare futuros effectus suæ vel misericordiæ, vel iustæ iracundiæ, quos ab æterno ponere decreuit ex hypothesi bonorum operum, ad quæ hortatur, vel malorum à quibus deterrere vult.

Opponunt tertio hoc argumentum: Nihil iam irreuocabiliter habitum, aut impossibile haberi, cognitum ut tale, debet aut potest rationabiliter ab aliquo peti. Nam preces non pro habito funduntur, sed pro habendo: Pro habito verò gratiæ agi debet. Atqui supposito quòd Deus nihil liberè nunc velit, nec possit velle, quod non voluerit ab æterno; irreuocabiliter vult, aut nunquam volet: ergo non debet ab eo peti ut velit parcere, ut peccata dimittat, ut nos amet quod consequens falsum est & hæreticum.

Respondeo posse rationabiliter peti ab aliquo id quòd nobis dare non voluit nisi sub conditione quod peteremus, & ex hypothese petitionis præuisæ, & cuius adhuc aliquid superest dandum intuitu nostræ petitionis. Quemadmodum potest rationabiliter exigere pretium pro domo data sub conditione pretij suo tempore soluendi: Cuius possessio per solutionem pretij stabilenda est. Sic autem petimus à Deo ut velit parcere, ut peccata dimittat, ut nos amet. Petimus, inquam, non purgæ actus Dei internos & æternos, per quos tamen non voluit parcere, aut amare nisi sub conditione orationis præuisæ, vel alterius operis exhibendi suo tempore, sed & effectus temporaneos, quos Deus nondum exhibuit, & quos non exhibet, nisi præuis præcibus & alijs bonis operibus. Male verò instat Deum non potuisse præcipere preces fundendas pro aliquo dato irreuocabiliter, sed dumtaxat potuisse rationabiliter gratias exigere, adeoque non potuisse exigere preces pro voluntate parcendi vel emandi, quam ab æterno habet irreuocabiliter. Quidni enim possit præcipere id cuius intuitu, & sub cuius conditione & onere voluit parcere, vel amare, & sine quo non voluit? Sicut à Christo exegit mortem, cuius intuitu voluerat irreuocabiliter ab æterno, hominibus parcere, & multis iam re ipsa peccerat. Nam Deus mortem Christo præcipit ut per eam mereretur remissionem peccatorum, non modò eam quæ facienda erat deinceps Christi posteris: sed & illam quæ omnibus anteris facta erat, tempore legis naturæ & Mosaicæ, tametsi irreuocabiliter facta

Potest Deus orari pro aliquo quod sub conditione orationis præuisæ dare voluit ab æterno.

Cs

erat: proque illis omnibus Christus cruentum sacrificium æterno Patri obtulit ad illum propitiandum. Cum autem addunt aduersarij se intelligibile quoddam Deum eundem esse simul & oderit, velit ei summum bonum expers omnis mali, & simul summum malum: neque satisfacere si dicatur amare & odisse respectu diuersorum temporum: nam amor & odium terminantur ad personam, non ad tempora: & in humanis liquet experientia id esse impossibile: cum, inquam, hoc addunt, ostendunt quam angustè, & demissè de Deo sentiant: longèque absunt à mente D. Augustini, & aliorum Patrum, de amplitudine infinita mentis diuinæ aliter sentientium, imò auctum non fore Deum si vicissitudinem etiam simplicem, id est, sine contrarietate uolitionum, subiret, ut patet ex Augustini & aliorum plurium testimonijs quæ retulimus disputat. 6. sectione 1. numero. 7.

41. Quæ med. Deo ab æterno amet & oderit?

Amor denique specialis, & odium Dei, non terminatur ad personam purè sumptam, sed consideratam sub circumstantijs propter quas amore speciali, vel odio digna est, in gratiam, vel in peccato mortali: ac proinde in ordine ad tempus pro quo persona est in gratia, vel in statu peccati mortalis. Non est autem necessarium existere re ipsa huiusmodi circumstantias, ut Deum moueat ad amandum vel odio habendum. Sufficit enim absoluta earum præuisio certissima, quam Deus habuit ab æterno. Et quidem Deus elegit nos in Christo ante mundi constitutionem, ut essemus sancti. Ephes. 1. adeoque antequam esset ipse Christus, qui fuit motiuum aut fundamentum huius electionis: & ab æterno prædestinavit electos, ex præuisis operibus, aut conditionibus: similiterque reprobos pœnis æternis destinauit, ex malo statu finali præuiso.

42.

Opponunt quorundam: Id omne falsò supponitur, ex quo sequitur Deum non esse liberum, sed omnino prorsus excidisse à sua libertate. Atqui si Deus à primo instanti æternitatis non potuit liberè eligere uolendo, nolendo, aut non uolendo: ab eo instanti non est liber, sed excidit à sua libertate: Ergo falsum est Deum ab eo instanti non posse liberè eligere, uolendo, nolendo, aut non uolendo. Maior, inquam, est de fide, quia de fide est Deum esse liberum. Minor probatur, quia potentia non est libera pro ea duratione, pro qua impossibile est ut actum ita exerceat, ut possit non exercere, aut vsu illum nouum suæ libertatis habere, aut cessare ab habito. Sed in ea opinione Deus ita se habet: ergo in ea non est liber, nec vnquam fuit liber nisi in primo instanti suæ æternitatis.

43. Deo liberè uult non

Respondeo illud primum instans æternitatis esse chimericum. Æternitas enim cum sit duratio interminata & interminabilis, caret principio & sine durationis, ac

proinde caret primo & ultimo. Neque minus implicat dari primum instans in æternitate à parte ante, quàm dari ultimum à parte post. Quare Deus non fuit liber in primo instanti æternitatis. Sed fuit liber ab æterno, & adhuc est, quatenus eius uoluntas non fuit de se, neque ab ullo extrinseco necessitata, ut tenderet, modo quo tendit, in objecta contingentia: sed ab æterno liberè se determinauit ut tali modo tenderet, id est, tali modo tendit, quia uoluit, potuitque ab æterno non tendere, aut etiam tendere opposito modo si uoluisset, quamuis ex hypothesi quod se determinauit, maneat necessariò in illa libera determinatione per æternitatem, ratione immutabilitatis, & constantiæ perfectissimæ in uolendo, incapacis omnis vicissitudinis, & hoc solum sensu de fide est Deum liberum esse. Alius uero sensus intentus ab Aduersarijs non modò non est de fide, sed est contrarius sanctis Patribus, & sacris literis iuxta communem eorum interpretationem acceptis, ut ostendimus disp. 6. sect. 1. In forma igitur distinguo Maiorem: ad omne falsò supponitur ex quo sequitur Deum non esse liberum, id est, Deum non liberè se determinasse ad ea quæ uoluit, quamuis inuariabiliter maneat in determinatione semel habita, ex suppositione quod iam illam præhabuerit: concedo, Non esse liberum alio sensu, ita ut etiam nunc possit mutare sua decreta, desinendo uelle aut non uelle quod antè uolebat, aut nolebat, siue ob diuersa motiua & circumstantias mutatas, siue non: aut incipiendo uelle, aut non uelle, quod antè non uolebat, aut non nolebat: Nego. Minor similiter distinguenda est. Deus non est nunc liber ad mutandos suos actus internos liberos, & ad incipiendum aut desinendum uelle, aut non uelle: concedo. Deus non est nunc liber per denominationem à libera electione actus seu tendentiæ quam ab æterno liberè suscepit, id est, non habet nunc tendentiam uoluntatis, ad quam habendam non fuit necessitatus, sed ab æterno liberè eam elegit: nego.

Opponunt quorundam, Deum propterea non mutatum iri, sicut non fuit mutatus ab æterno per actus æternos. Quia nihil plus habet per actus temporaneos, quàm habuit per æternos: & ex opposita sententiâ sequi Deum primò fuisse, eiusque durationem claudi terminis, ac posse dubitari num horà tantùm ante mundi creationem extiterit: & non posse actum liberum uoluntatis ab æterno existentem, eodemque semper modo & inuariabiliter se habentem applicare efficaciter omnipotentiam ad agendum in tempore. Idem enim omnino manens idem, si necessariò operetur, operatur semper si non pendeat ab aliqua conditione. Volitio autem Dei, & omnipotentia, non pendent ab ullo tempore, aut conditione extrinseca. Sed hic omnibus abun-

obstine
actus.

44

de in responsum fuit disp. 6. sect. 1. & 2. quam consule.

SECTIO VI.

De ordine decretorum diuinae voluntatis sum inter se, sum etiam respectu cognitionis diuinae.

45. **S**uppono imprimis, licet Deus vnico actu simplicissimo realiter omnia intelligat, & velit: illum tamen virtualiter, & aequiuolenter esse multiplicem, posseque a nobis in multos per rationem distingui. Possumus enim concipere illum actum inaduatate, prout est intellectio, non cogitando de eodem prout est volitio, aut nolitio. Et rursus prout est intellectio, aut volitio talis obiecti in particulari, aut prout est obiecti alterius. Quod dum facimus, distinguimus conceptu actum intellectus ab actu voluntatis, & actum vtriusque facultatis re vnicum, in plures secundum rationem diuidimus. Contra quem modum concipiendi partim friuola sunt quae opponuntur à Nominibus, partim etiam falsa, partim Scripturae, Concilijs, & Patribus, certisque fidei principijs minus consentanea vt fusè ostendemus tom. 4. disp. 17.

46. **I**nter hos autem actus virtualiter multos & ratione diuisos, aliquando concipitur esse subordinatio, virtualis scilicet, & per aequiuolentiam, id est, cum fundamento in re: quatenus aequiuolent pluribus distinctis, quorum vnus alium praesupponit, ac si re ipsa essent in Deo distincti (vt sunt in creaturis) vnus formaliter alium praesupponeret, & quasi ab illo penderet. Nam quia voluntas diuina non fertur in incognitum, sed sicut nostra, praesupponit cognitionem obiecti, vt conditionem necessariam ad volendum aut nolendum: idcirco talis ordo esse concipitur inter actus intellectus & voluntatis diuinae, vt cognitio & propositio obiecti sit prior volitione circa illud versante eo modo quo proponitur. Prior, inquam, non formaliter & re ipsa, sed virtualiter & per aequiuolentiam. Neque etiam tempore seu duratione, vt male fingunt Nominales nos imaginari: quasi dicamus rationis prioritatem, vel naturam, esse talem vt vnus sit, & aliud non sit, vel vnus sit, & non sit, in eodem instanti temporis, diuiso in duo instantia rationis. Etenim prioritas illa non est prioritas in quo vnus sit, & aliud non sit, vel vnus simul tempore sit & non sit: sed est prioritas à quo, id est, dependentiae & subordinationis. Et quando quaeritur, an vnus sit in eodem priori, in quo est aliud? v. g. An volitio sit in eodem priori, in quo est cognitio? locutio est impropria, & sensus ineptus. Est enim

sensus, An volitio sit talis vt cognitio obiecti ab ipsa pendeat, sicut ipsa pendet à cognitione obiectum illud proponens. Et haec sufficiant in praesenti refutatis vanis imaginationibus Gabrielis in 3. d. 19. quaestione vnica artic. 2. conclusione. Aliorum vero argumentis respondebimus, sect. 8.

47. **D**ixi cognitionem seu propositionem obiecti esse priorem volitione circa illud versante: quia alioqui non est dependentia & subordinatio inter cognitionem & volitionem, si cognitio circa vnum versetur, & volitio circa aliud. Dixi etiam, eo modo quo proponitur: quia non omnis cognitio obiecti est prior eius volitione: sed ea tantum quae illud proponit, & secundum modum aut statum quo proponit. Alioquin enim potest aliqua obiecti cognitio esse posterior eius volitione, quatenus obiectum, secundum talem statum quo cognoscitur, pendet ab actu voluntatis. Ex. gr. cognitio Petri vt futuri, pendet à decreto voluntatis quo Deus statuit Petrum producere, & vi cuius futurus prouidetur. At haec prauiusio non est illa cognitio, quae Petrum voluntati proponit ante ipsius decretum, sed tantum cognitio Petri, vt possibilis eligi & decerni. In vtriusque autem actuum intellectus, & voluntatis ad inuicem comparati, vnus actus intellectus seorsim, aut voluntatis seorsim, inter se collati, sunt alij alij priores, quatenus vnus alium virtualiter praesupponit, atque ab illo quo modo pendet. Sic scientia visionis est prior actu voluntatis, quo Deus statuit aliquid ex aliquo prauiusio: v. g. si Deus non decreuit Incarnationem nisi ex occasione peccati Adami, prauiusio illius peccati fuit prior decreto Incarnationis. Et inter actus ipsos intellectus diuini ad inuicem collatos, quando Deus cognoscit vnum propter aliud, cognitio istius est prior, id est, prius tendit in hoc obiectum, quam in illud: quia istud est illi causa, seu medium & ratio cognoscendi. Similiterque quando Deus vult vnum propter aliud: actus voluntatis prius tendit circa illud, quod est alteri ratio volendi. Atque ita intentio finis, etiam absoluta & efficax, est prior electione mediorum. Et si plura media subordinata eliguntur, quorum vnus referatur ad aliud, velut ad finem proximum, volitio istius est prior volitione alterius. Ex. gr. cum Deus velit, in negotio praedestinationis, vocationem propter iustificationem, & iustificationem propter glorificationem: volitio glorificationis prior est, quam volitio iustificationis: & volitio iustificationis prior est, quam volitio vocationis. Cum autem intentio finis praecedat in priori signo rationis electionem, mediorum, abstrahit pro illo priori ab his aut illis medijs determinate, quorum nullum in particulari necessarium est, & quodum electio ac determinatio pertinet ad posterius signum rationis.

TINO
US
VI

in quo concipitur esse electio, vi intentionis ratione prioris. Exempli gratia, in negotio predestinationis, Deus primò intendens antecedenter & à se salutem electorum, siue efficaciter siue ineffaciter, determinauit ratione post de medijs. Et similiter potuit primò decernere Christum venturum, abstrahendo à medijs, vel à modo quo veniret, passibilis, aut impassibilis, de quo postea ratione decernere potuit ex occasione alterius non prævisi pro illo priori rationis, id est, à quo decerneretur incarnationis quoad substantiam nõ pependit, neque illud præsupposuit. Sic in humanis potest quis decerneret ire Romam, nondum decernendo de medijs in particulari, & de modo, de quo postea deliberabit: fierique poterit ut ob aliquam occasionem, nondum prævisam, ad tale medium, aut modum se determinet, relicto alio, quo alioqui vti voluisset.

Falluntur autem qui putant cum Caietano 3. p. quæst. 1. artic. 3. ordinem inter actus diuinos esse sumendum generatim ex naturis rerum ipsarum, ita ut vniuersaliter ordo naturæ præsupponatur ordini gratiæ: & ordo gratiæ, ordini vnionis hypostaticæ: vel ita, ut quæcunque sunt priora à parte rei, aut ex natura sua, sint etiam priora in cognitione & volitione diuina: aut, ut videtur velle Scotus, ordinem actuum diuinæ voluntatis sumi generaliter ex proportionem rerum ad finem. Falluntur, inquam, quia non omnia naturalia subordinantur supernaturalibus & gratuitis, in cognitione quælibet, aut volitione diuina. Sed contra potius, Deus vult multa naturalia propter supernaturalia: vt natiuitatem alicuius, propter preces, & filium, ac charitatem parentum: mortem electi, propter ipsius salutem, & similia. Et quæ potuit velle homines, & eorum salutem propter Christum: quàm Christum propter homines, eorumque salutem. Deus item cognoscit omnia immediate & per se, secundum vnum modum cognitionis: secundum aliam vero, quo cognitio mediata est, Deus cognoscit naturalia per supernaturalia, & causas per effectus, quæ ac effectus per causas, propter mutuan connexionem. Voluntas quoque diuina velle potest causam propter effectum, quæ ac effectum propter causam. Ac sicut in nobis non est necessariò idem ordo in cognoscendo & volendo, qui est inter obiecta: sed interdum simul cognoscimus, aut volumus ea, quæ sunt in re subordinata: Interdum etiam ordinem illius inuertimus, v. g. videmus simul ignem & fumum, fructum & arborem: & volumus arborem propter fructum. Sic in Deo ordo rerum ipsarum non pœnit ordinem inter actus diuinos, si nihil aliud sit. At neque etiam proportio Scoti sufficiens est. Etenim voluntas, quæ in medijs electione libera est, potest minus proportionatum, sed tamen suffi-

ciens, præferre maiori, neque semper eorum naturæ, & dignitati, se accommodat, sed aliquando maioris minori subordinat. Quo pacto non pugnat Deum voluisse suam gloriam per hominum salutem, & salutem hominum per redemptionem, & redemptionem per Incarnationem, quæ fuerit medium vltimò electum, licet secundum se sit fini propinquius & magis proportionatum, quia magis facit ad gloriam Dei; quàm salus hominum & redemptio. Quare non sufficit ordo medijs propter est in re.

Non essentior quoque Vasqui disp. 82. cap. 5. & 6. & alijs quibusdam Recentioribus, cum ipso affirmantibus instantia rationis inter Dei decreta, assignanda esse generatim & vniuersaliter ex connexionem & ordine, quem habent ipsa obiecta inter se, vel ex natura sua, vel ex intentione hominum operantium. Non autem assignari etiam posse ordinem instantium ex solo ordine quem res habent à diuina voluntate, quæ pro sua libertate possit vnum ad aliud ordinare, etiam si re ipsa, ad illud non referatur. Ratio eorum est: quia sine mutatione rerum inter se, non possumus varias ordinationes diuinæ voluntatis concedere, aut colligere. Nimirum quia, ut ipsi philosophantur, actus liberi diuinæ voluntatis complentur formaliter & constituntur per creata connotata. Ex quo fit ut decreta diuina, prout ad illa comparantur, nullum seruent ordinem inter se, quando creata connotata nullum habent inter se ordinem dependentiæ. Neque possit esse variatio in decretis diuinis, nisi sit penes illud connotatum extrinsecum, id est, penes res liberè volitas: quia non potest esse ex parte ipsius Dei: ergo si est, debet esse ex parte rerum volitarum. Quare res manentes in eodem ordine, non possunt Dei voluntate aliter ordinari: sed voluntas etiam Dei eodem modo manet. Semper igitur attendi debet connexio rerum inter se, ut inde ordinem diuinæ voluntatis assignemus. Rerum autem connexio consistit potissimè in proportionem naturali rerum, quæ inuicem comparantur, vel in intentione, non Dei, sed hominum taliter operantium. Hæc Vasq. loco cit. num.

25. 26. Cuius fundamentum de constitutione actuum Dei liberorum per creata connotata, fuit superius reiectum sect. 3. numer. 12. Et præcipue quia cum actus Dei liber, quæ talis, sit causa variationis quæ est in connotatis illis, id est, in effectibus liberè volitis, impossibile est actum liberum constitui formaliter per illam variationem: alioquin constitueretur formaliter per aliquid posterius, & pendens à seipso iam constituto. Euidenter autem falsum est, non posse esse ordinem inter Dei decreta, nisi sit ordo inter obiecta ex natura rerum ipsarum. Nam ex natura rei nullus erat or-

Ordo inter actus diuinos non est vniuersaliter generatim ex naturis rerum, neque ex proportionem ad finem.

Scot. in 3. dist. 7. q. 4. § Dico tamen quod lapsus.

do inter filium impetratum ab Elizæo, & preces ipsius Elizæi: id est, filius non pendebat naturaliter, neque postulabat pendere ab eius oratione. Et tamen Deus decrevit illum dare propter Elizæi orationem. Sic etiam pluvia non pendet naturaliter à precibus Ecclesiæ: & tamē sæpe datur à Deo intuitu precum Ecclesiæ. Eaque fortè de causa addidit Vasq. debere esse ordinem inter objecta vel ex natura rei, vel ex hominū intentione. Verūm si homines possunt propria libertate ordinare ea quæ ex natura rei, non ordinantur inter se: Potest etiam Deus: quippe cuius voluntati non minùs subest ordinatio rerum, quàm voluntati hominum & angelorum ordinationem, Deus creaturas intellectuales ordinavit ad gratiam & gloriam, simplici saltem affectu desiderij: ad quam tamen Angeli & homines non estant naturaliter ordinati. Quare illa ordinatio fuit primò ex Dei voluntate. Et similiter Deus alia multa antecedente voluntate ordinavit, ante omnem creaturarum intellectualium ordinationem, quæ alioqui non habebant ordinem inter se: id est, non exigebant ex natura rei, ut vnum fieret à Deo propter aliud. Adde quòd cum homines ordinant vnum ad aliud, putà offerunt Deo preces vt infantem impetret: ista ordinatio humana potest esse absque eo quòd Deus ita ordinet, & faciat re ipsa id quod petitur. Ergo ordinatio humana non est ipsamet ordinatio diuina, sed ex parte Dei intelligendum est aliquid aliud, quo ipse propter preces decrevit dare id quod petitur. Posset autem propter easdem preces non id decernere, sed aliquid aliud. Neque enim dat semper illud ipsum quod petitur, sed sæpe dat aliquid aliud magis conducens ad salutem petentis, & ad gloriam suam. Tuncque Deus ponit ordinem inter huiusmodi res, qui neque est ex intentione petentis, supposito quòd preces suas ad hoc beneficium præcisè restrinxerit, id est, hoc tantum à Deo postulet: quod non est impossibile: neque etiam est ex natura rerum ipsarum.

Super deo examinare quàm delicta sine & improbabilia, quæ iidem Auctores respondent hoc loco obijcientibus Deum per actum simplicem suæ voluntatis, æquivalentem pluribus actibus voluntatis creatæ, posse relaxare vota sibi facta, & debita seu peccata condonare, per simplicem cessationem sui iuris: absque vllâ mutatione creaturarum: ita vt pro aliquo tempore, ea retineat, pro alio remittat. Quæ remissione facta ex parte Dei, cessat re ipsa obligatio, quamvis creaturæ ignorent factam esse: neque amplius obligantur nisi ex conscientia erronea. Item quàm malè asserant pecca-

tum veniale non posse tolli nisi per formam intrinsecam impossibilem: & tamen tolli per attritionem cum augmento gratiæ. Cum nihilominus neque gratia, neque attritio seorsim, opponantur incompatibiliter peccato veniali: neque maior fortiantur repugnantiam & impossibilitatem naturalem ex eo quòd simul iungantur. Imò similis attritio, & augmentum gratiæ, simul possint stare cum simili peccato veniali, in eo qui non obstante tanta gratia habituali, infectus plurimis peccatis venialibus simul & eiusdem speciei, non mereretur omnium remissionem per similem attritionem eiusdem speciei & intensioris. Qua de re dicemus alibi, in tractatu de gratia.

Vide tom. 2
disp. 40.
Sect. 10.

Præter ordinem istum inter actus diuinos ob dependentiam virtuales vnus ab alio, potest alius assignari ex parte subiecti, quod vnum magis ac prius sibi vendicat, quàm aliud, vt pote magis sibi connexum, verbi gratia actus essentialis & necessarios, prius quàm contingentes & liberos: vel quando ita se habent, vt non conuertantur subsistendi consequentiâ: Quo pacto scientia conditionata futurorum, est prior scientiâ absoluta eorundem, quatenus esse potest sine absoluta: & esset, quamvis res absolute non esset futura. Contra verò si quid absolute futurum est, prius ratione verum fuit illud fuisse futurum si conditio poneretur: sed hic præcipue de primo ordine, qui vocatur ordo causalitatis inter decreta dei libera, disputamus, de quo plura sequentibus sect. dicenda sunt, deque simili ordine inter actus intellectuum inter se, tum etiam comparatos cum actibus voluntatis, prout ab illis præsupponuntur, aut illos præsupponunt, & virtualiter ab illis causantur.

52.
Ordo prioritatis inter actus diuinos ex parte subiecti, & subsistentiâ consequentiâ.

SECTIO VII.

Utrum ordo causalitatis assignatus inter actus diuinos sit Deo intrinsecus?

RESPONDEO esse intrinsecum non quidem actualem ordinem realem, sed virtualem, in eo consistentem, quòd vnus actus, quamuis realiter simplex, & indivisibilis, æquivaleret intrinsece & per se, multis actibus creaturarum distinctis, quorum vnus alium præsupponit, & ab illo causatur, & pendet. Prima pars huius responsi, non esse scilicet inter actus diuinos actualem ordinem realem intrinsecum, est communis Theologorum contra Scot. in 3. distinct. 7. quæst. 3. Duh. 1. in fine: vbi naturæ prioritatem, & non rationis solum, ponit inter electionem ad gloriam, & præ-

53.
Ordo realis inter actus diuinos non est Deo intrinsecus, sed virtualis tantum.

uisionem peccati: Et dist. 19. quæst. vnica
§. *Ad secundum, nego consequentiam*: vbi af-
firmat omnes Patres veteris testamenti fuisse
prius natura prædestinatos, quam passio
Christi esset præuisa: Probatum quia omnis
ordo actualis realis est inter plura realiter
distincta. Ergo vbiunque est ordo realis
intrinsicus, ibi est realis distinctio intrinseca:
sed inter actus diuinos intellectus, & volun-
tatis non est realis distinctio intrinseca:
Ergo nec ordo realis intrinsicus. Maior est
evidens. Minor vero sufficienter probata fuit
Disp. 3. sect. 2. & 3.

Nec obest quod vnus actus diuinus ha-
bet actum à parte rei, citra nostram cogita-
tionem, aliquem usum vel effectum, quem
non habet alius. Ex. gr. Actus essentialis in-
telligendi producit realiter Verbum: actus
autem essentialis volendi producit Spiritum
sanctum. Actus volendi efficaciter dare glo-
riam Petro, est realiter causa gloriæ: & ac-
tus volendi punire Iudam pro malis eius me-
ritis, est realiter causa pœnæ. Ad hoc enim suf-
ficit actus diuinus realiter vnicum, quo eo-
dem omnia Deus intelligit & vult, æqui-
uolare actu & à parte rei multis: & prout
vni æquiualeat, habere hunc usum vel effe-
ctum: prout autem æquiualeat alteri, habere
diuinum. Aliud verò est æquiuolare actu &
realiter multis: & aliud, esse actu & reali-
ter multa. Aliud, inquam, est æquiualentia
actualis & realis, quam in Deo esse fatemur:
& aliud, actualis & realis distinctio & ordo,
quæ negamus esse inter actus diuinos.

Non obest etiam id, quod præcipue op-
ponunt Scotiæ, Filium verè à parte rei si-
gni per actum intellectus, & non per actum
voluntatis: contra verò, Spiritum sanctum
spirari per actum voluntatis, & non per actum
intellectus: adeoque verè à parte rei aliquam
esse distinctionem inter huiusmodi actus. Et
confirmatur, quia distinctio illa verè à Deo
videtur: Deus enim videt Filium produci per
intellectum, non per voluntatem: Spiritum
verò sanctum, per voluntatem non per intel-
lectum. Ergo distinctio illa est in re, alioqui
non videretur à Deo, qui non fingit, neque
decipitur: cumque cognoscat intuitiue, & per-
fectè rem, sicuti est, non videret distinctionem
inter actus intellectus, & voluntatis, nisi
esset à parte rei.

Respondeo enim primò, sensum istius
propositionis, *Filius verè à parte rei signatur
per actum intellectus, & non per actum volun-
tatis*, hunc esse, quod Filius verè à parte rei
signatur ab actu illo diuino, prout est verè,
& realiter intellectus, & prout æquiualeat, at-
que infinite supereminet intellectioni crea-
tæ, non autem prout est volitio, & prout æ-
quiualeat, ac supereminet volitioni creatæ.
Quæuis idem actus realiter, & adæquate
sumptus, sit simul intellectus, & volitio: &
per simplicem entitatem æquiualeat intelle-
ctionibus, & volitionibus realiter distinctis in
creaturis. Simili modo, quæ verè aliquis dice-
ret de anima rationali, quæ per eandem entitatem

simplicem, & realiter indiuisibilem, est ve-
getatiua, vt anima plantarum, sensitiua, vt
anima brutorum, & intellectiua, vt Angeli:
anima illa, verè à parte rei tribuit omnibus ve-
getare, quatenus est vegetatiua, & non qua-
tenus est sensitiua, aut intellectiua, id est,
quatenus æquiualeat formæ plantarum, & non
quatenus æquiualeat formæ brutorum, aut
prout accedit ad Angelos per virtutem intel-
ligendi. Contrà verò verè anima intelligit, discer-
rit, libere vult, quatenus est rationalis, & simi-
lis Angelis, non autem præcisè quatenus æ-
quiualeat formis plantarum, aut brutorum,
quod si formam haberet, certè non intelligeret.
Ad confirmationem: respondeo Deum non
aliud videre, nisi id quod modò dictum
est, nimirum actum suum intelligendi, & vo-
lendi, realiter vnicum, & simplicem, atque
ab ipsa substantia, & essentia, diuina indi-
uinctum à parte rei: effectum virtualiter mul-
tiplicem, & æquiuolare actibus realiter distin-
ctis intelligendi, & volendi, qui sunt in crea-
turis: esseque simul actum intelligendi, & vo-
lendi perfectissimum. Atque hunc actum ge-
nerare Filium, quatenus est intellectus æqui-
uolens, & supereminens, intellectioni crea-
tæ, non autem prout est volitio, id est, non
habere quod generet Filium ex eo, quod sit
vitalis affectus erga Deum, & creaturas, si-
milis nostræ volitioni: sed ex eo, quod sit
vitalis illorum expressio, similis nostræ intel-
lectioni. Cumque illa virtualis distinctio, &
æquiualentia verè sit à parte rei, Deus illam
videns non fingit, neque decipitur, neque rem
cognoscit aliter, quam sit: sed perfectè illam
intuetur, & virtuale eius amplitudinem,
quidue ratione illius ei conueniat, adæqua-
tè cognoscit.

Secunda pars nostræ conclusionis, quod
scilicet inter actus diuinos sit intrinsicus or-
do virtualis, est etiam communis Theologo-
rum, contra Ocamum in 1. dist. 9. q. 3. Gab-
ri. 3. dist. 2. q. vnica dub. 3. in fine, & paucos
alios, quos sequitur modernus quidam auctor
libri de ordine cap. 36. & sequentibus: cuius
libri occasione plura de hoc ordine dicere
statuimus ad eum magis declarandum, & præ-
cipua auctoris illius argumenta refellenda.
Probatum ergo assertio proposita, quia vt sit
ordo virtualis intrinsicus inter actus diuinos
duo requiruntur & sufficiant. Primò, vt in-
ter illos sit distinctio virtualis, per actualem
æquiualentiam ad plures actus realiter distin-
ctos in creaturis. Secundo, vt inter illos actus
virtualiter distinctos, sit etiam, virtualis præ-
suppositio vnus ad alterum, & virtualis de-
pendentia vnus ab alio, quatenus æquiualeat
duobus actibus creaturarum distinctis inter
se, quorum vnus realiter præsupponitur al-
teri, atque ab ipso pendet: & si essent in Deo
realiter distincti, vnus similiter ab alio pen-
deret, illumque præsupponeret. Atqui inter
actus diuinos est huiusmodi virtualis distinctio
& præsuppositio: Ergo, &c. Maior pater ex ip-
sa definitione ordinis virtualis. Nihil enim ali-
ud intelligunt eius assertores, quam illam

Ruis.

56.

Ostenditur
id primo
de actibus
intellectus
comparan-
do illos cu
actibus vo-
luntatis.

æquivalentiam ad plures actus, & virtua-
lem distinctionem ac præsuppositionem. Nam vt
rectè ait Didac. Ruis disp. 22. de voluntate,
Dei, sect. 5. num. 1. Prioritatis omnino diuina-
rum operationum ab humano intellectu concipi-
tur ad modum prioritatis quam in crea-
turis inuenit, eo quòd vna res supponit aliam
à qua dependet proptereaque posterior est.

Minor vero probatur primò, comparando
actus intellectus diuini, cum actibus volunta-
tis. Nam quòd actus diuinus realiter simplex,
quo Deus omnia intelligit & vult, æquiualeat
multis quibus creaturæ seorsim intelligunt &
volunt, manifestum est. Deus enim in illo actu
tam formaliter intelligit & formaliter vult:
quàm creaturæ, distinctis actibus. Itaque ille
actus diuinus est æquiualeat & virtualiter
multiplex, præbetque nostro intellectui funda-
mentum concipiendi ipsum diuersis conce-
ptibus inadaquat, quorum vno concipiatur
prout æquiualeat intellectui creaturæ: altero
verò, prout æquiualeat earum volitioni. Qui
modus concipiendi vocatur à philosophis dis-
tinctio rationis ratiocinatæ, id est, fundata in
rei conceptæ amplitudine virtuali: in eoque
consistit, quod intrinsecam rei perfectionem,
& virtualem eius amplitudinem & æquivalen-
tiam ad multa magis penetramus, meliùsque
ex primis, per plures & dissimiles conceptus
De qua distinctione plura diximus cõtra No-
minales disput. 3. lect. 5. & sequentibus. Cõ-
firmatur ex mysterio Sacrissimæ Trinitatis: in
quo certum est filium generari per actum in-
tellectus, Spiritum verò sanctum produci per
actum voluntatis. Quod esse & intelligi ne-
quit sine aliqua distinctione inter actum in-
tellectus, & actum voluntatis, de quorum vno
verè aliquod affirmatur, quod non affirmatur,
imò verè negatur de altero. Cumque hæc dis-
tinctio nõ sit realis, debet saltè esse virtualis,
per actualem æquivalentiam ad plures actus.

Quod verò cum virtuali distinctione sit e-
riam virtualis præsuppositio, inter actus in-
tellectus, & voluntatis diuinæ, non minùs eui-
dens est. Nam actus voluntatis, quo Deus li-
berè vult aliquid obiectum; præsupponit vir-
tualiter ipsius cognitionem: & actus quo vult
efficaciter aliquid facere, præsupponit virtua-
liter cognitionem illius vt possibilis fieri, nec
enim magis potest voluntas diuina ferri in in-
cognitum, quàm voluntas creata. Et vniuer-
sim hæc est natura voluntatis, vt non moueatur
& alliciat ad amandum, à bono, nisi cognito
Itaque cognitio est voluntati necessaria, & vir-
tualiter prærequisita, vt voluntas diuina fer-
tur in suum obiectum. Cognitio, inquam, il-
li proponens obiectum sub ea ratione, sub qua
in illud tendit, & à qua mouetur occasionali-
ter ad volendum. Atque hoc significant istæ
Scripturæ propositiones: *Vidit Deus afflictio-
nem populi sui & miseratus est.* Exod. 2. ver. 11. & c. 3.
verf. 7. & 9. id est cognitio afflictionis mouit
eum vt miseretur. *Miseratus est Dominus timen-
tibus se, quoniam ipse cognouit signum nostrum,*
id est, fragilitatem nostram, Psal. 102. verf.

14. Quia videlicet cognitio fragilitatis nostræ
mouit ipsum ad miserendum. *Vidit Deus quòd
omnis cogitatio hominum inuenta esset ad malum, &
penituit eum quod hominem fecisset.* Genes. 6.
verf. 6. quia scilicet malitia hominum cognita
mouit Deum vt penitenteret, id est, displice-
ret illi quòd homines fecisset.

Confirmatur primò, quia, omnis actus vo-
luntatis diuinæ, æquè ac creatæ, est intrinse-
cè voluntatis. Voluntas autè non est nisi
id quod est à principio intrinsecò cognoscen-
te, vt cum Aristotele 3. Ethic. c. 1. docent om-
nes philosophi & Theologi. Confirmatur se-
cundò ex mysterio Trinitatis: in quo certissi-
mum est filium esse secundam personam, &
origine priorem persona Spiritus sancti, eius-
que productione. Cuius rei non alia potest
reddi ratio, nisi quia filius procedit per actum
essentialem intellectus: & Spiritus sanctus, per
actum essentialialem voluntatis: Actus autem
essentialis intellectus & virtualiter, seu ratio-
ne, prior actu essentiali voluntatis: sive dicitur
productio filij, qui generatur per actum essen-
tialialem intellectus, est prior productione Spi-
ritus sancti, qui spiratur per actum essentialialem
voluntatis. Ergo inter actum essentialialem
intellectus, & actum essentialialem voluntatis,
est ordo virtualis intrinsecus, quem imitatur
ordo actualis & realis originis, in illo fundatus.

Probaturn secundò de actibus intellectus di-
uini comparatis ad invicem. Nam actus intel-
lectus diuini, licet realiter vnicus, est virtuali-
ter multiplex, quatenus actu æquiualeat multis
actibus creaturarum, quibus plura singulatinim
& distinctè concipiunt. Itaque in ipsomet actu
intellectus diuini est virtualis distinctio,
ita vt ille actus realiter simplex, sit æquiualen-
ter & virtualiter multiplex. Iam verò quòd inter
aliquos illos sit virtualis præsuppositio, pa-
ret quia, ex gr. visio alicuius creaturæ vt exi-
stentis, præsupponit virtualiter cognitionem
illius vt possibilis, & decretum voluntatis di-
uinæ de illa producenda, vt cuius decreti con-
stituitur res illa in esse obiecti visibilis, id est,
in esse cognoscibilis vt existens. Nam cog-
nitio rei, vt possibilis, præsupponitur decreto il-
lam producendi, tanquam proponens volun-
tati obiectum eligibile per liberum decretum
vt decernat, si velit eam producere. Et decre-
tum producendi, præsupponitur productioni,
& existentia, tanquam illius causa. Sic etiam
quando Deus vult efficaciter vnum existere
propter alterum præuisum: præuisio istius est
virtualiter prior præuisione alterius. Ex gr. Si
Deus non vult gloriam absolutè & efficaciter
Petro, nisi propter illius merita præuisa: præ-
uisio meritorum est prior præuisione gloria
absolutè illi conferendæ, quæ est prior de-
creto quo conferenda est, quoue constituitur
in esse obiecti visibilis. Item quia Deus
non vult inferre penam, nisi præuiso pec-
cato: virtualiter prius est Deum præ-
uidere peccatum, quàm efficaciter vel-
le penam inferre, & præuidere penam
vt inferendam. Verumque est dicere,
Cc

58.

59.

Idem pro-
batur de a-
ctibus in-
tellectus
ad invicem
collatis.

Ideo Deus Iudam efficaciter destinavit ad poenam æternam, & consequenter præciuit illum esse damnandum, quia prævidit illum peccaturum, & in peccato moriturum. Et si Deus non decrevit incarnare Verbum, nisi propter peccatum Adæ prævisum, ut multi volunt: virtualiter prius fuit Deum prævidere peccatum Adami, quàm prævidere Verbum esse incarnandum. Contra verò, si, ut alij existimant, decrevit Christum propter se, & propter Christum decrevit homines creare, gratiamque & gloriam illis conferre propter ipsius merita: prius fuit virtualiter Deum prævidere Christum, quàm prævidere gratiam Adami collatam, & lapsum ab illa per peccatum.

60. Item de actibus voluntatis inter se comparatis.

Probatur tertio comparando actus voluntatis ad invicem. Nam similiter est distinctio virtualis inter actus diuinæ voluntatis, propter actualem æquivalentiam ad multos actus voluntatis creatæ: & inter quos eorum est virtualis præsuppositio, quatenus unus est virtualiter causa alterius, & vnus obiecti volitio mouet aut determinat ad aliam volitionem. Quando enim Deus vult vnum propter aliud volitum, ut medium propter finem, volitio istius est virtualiter causa volitionis alterius. Ex. gr. voluit Christum ut passibilem, quia voluit homines redimere per eius mortem. Itaque volitio redemptionis hominum per Christi mortem, fuit causa virtualis & ratio cur voluerit Christum esse passibilem. Voluit dare hominibus media sufficientia vel efficacia ad salutem, quia voluit eos saluare. Itaque voluntas quam habuit de hominum salute, fuit causa virtualis & ratio cur vellet illis dare media ad finem illum necessaria. Vult permittere peccatum ut inde eueniat aliquod bonum: itaque volitio istius boni est causa cur velit permissionem peccati. Est igitur ordo virtualis in ipsismet actibus, adeoque illis intrinsecus: quatenus à parte rei volitio diuina, virtualiter multiplex, cadit in vnum propter aliud volitum: & volitio vnus obiecti est illi ratio & motiuum volendi aliud.

61.

Probatur quarto refutatione contrariæ sententiæ, affirmantis nullum esse ordinem realem, ne virtualem quidem, in ipsis actibus diuinis: sed extrinsecam tantum, in propria denominatione alios alij priores aut posteriores denominari, ab ordine secundum prius & posterius, qui est in ipsis eorum obiectis, vel in modo nostro intelligendi & volendi, quatenus scilicet vnum ut priorem, ætiam ut posteriorem concipimus, vel vnum prius, alium posterius intelligimus: ex quo actus intellectus & voluntatis diuinæ dicuntur alij alij priores: sicut columna extrinsecè & improprie dicitur dextera ab hominis iuxta eam stantis dextera, ut ait auctor modernus libri de ordine cap. 36. numer. 5.

Contra enim: primò, cognitio & volitio eiusdem obiecti habent in Deo virtualem subordinationem, ut ostendimus numer. 57. Et ille non prouenit ab ordine obiectorum: quandoquidem obiectum vtriusque actus est vnum & idem; & non potest esse ordo inter obiecta, nisi sint plura: omnis enim ordo est vnus ad aliud. Secundò, ordo prioritatis & posterioritatis conueniens actibus diuinis, est sæpe contrarius ordini obiectorum: & existente eodem ordine obiectorum, potest esse diuersus.

Ergo non conuenit actibus diuinis solum per denominationem extrinsecam ab obiectis. Sequela manifesta est. Si enim conueniret illis solum ab ordine obiectorum: quotiescunque esset idem ordo obiectorum, esset eadem denominatio. Nam quotiescunque est omnino eadem forma denominans, est etiam eadem denominatio formalis. Antecedens verò probatur, quia ordo obiectorum est vel ordo temporis, quatenus vnum est prius alio duratione: vel causalitatis, quatenus vnum est causa alterius: vel dignitatis, quia vnum est altero perfectius: aut loci, quia vnum est loco prius, & alijs modis quos ex Aristotele recenset auctor citatus cap. 2. libri sui de ordine. Atqui Deus sæpe vult prius virtualiter id, quod est posterius quocunque ex illis modis. Nam, ex. gr. voluit prius Verbum incarnari, iuxta probabiliorē sententiam, quàm voluerit permittere lapsum Adami: & statu gratiæ per Christum ipsi collatæ. Et tamen lapsus Adæ fuit prior tempore incarnatione Verbi. Voluit Beatam Virginem, & eius progenitores, propter Christum: tamen Beata Virgo, cuiusque progenitores, fuerint priores, non solum tempore, sed etiam causalitate. Voluit Christum, saltem ut passibilem, propter salutem hominum: tamen Christum ut passibilis sit aliquid nobilissimum salutem: & sic de alijs. Ratio à priori est, quia Deus est liber in volendo vnum propter aliud, eo omni modo, quo potest sine indecentia expeti. Possunt autem sine indecentia, & propter fines conuenientes, appeti ea quæ sunt tempore vel causalitate, vel alijs modis priora, propter alia ipsis posteriora.

Item quòd existente eodem ordine obiectorum potuerit esse ordo diuersus & contrarius in actibus diuinis, probatur quia siue Deus voluntate antecedenti & efficaci, ante præuisa merita elegerit homines ad gloriam, ut multi censent: siue post, & propter illa, ut melius docent alij, idem est ordo obiectorum. Prius enim sunt media ad consequendam iustificationem: tunc gratia sanctificans, & bona opera facta in statu gratiæ, perseverantia, vel bonus exitus è vita: & tandem gloria. Similiter siue Deus decreverit Verbum incarnare antecedenti

ad lapsum Adami præuisum, siue consequenter tantum ex præuisione lapsus: idem erit ordo obiectorum. Nam de ordine obiectorum nulla est controuersia: estque certissimum Adamum prius fuisse creatum, & gratiam illi collatam, tum de statu gratiæ cecidisse, & Christum multò post uenisse ut lapsum repararet. Et tamen si Deus decreuit Christum consequenter tantum ad præuisionem lapsus Adami, ordo actuum diuinarum circa incarnationem, est contrarius illi qui est, si antecedenter eum decreuit. Nam in primo, uoluitio incarnationis præsupponit uoluntatem creandi Adamum, & constituendi illum in gratia ad totum genus humanum transfundenda, si non peccet, & peccatum seu lapsum ab illa gratia. In secundo, uoluitio incarnationis præsupponitur lapsus Adami: quia præsupponitur gratiæ ex qua cecidit. Fuerat enim illi collata, uirtute meritorum Christi uenturi, primo & per se decreuit propter gloriam Dei, suamque ipsius excellentiam. Item si Deus homines non destinat ad interitum nisi ex præuisione peccati, ut docent omnes Catholici, & definit Arausico. canon. 25. & si electos destinat efficaciter & antecedenter ad gloriam à seipso, non ex præuisione meritorum, ut multi uolunt quibus subscribit auctor quem impugnamus: idem est ordo obiectorum utriusque. Quia in vno præcedunt peccata, & sequitur damnatio: in alio, præcedunt merita, & sequitur gloria. Et tamen decreta sunt diuersimodè ordinata. Nam vnum fundatur in præscientia, alterum non. Idemque uicò si, ut nonnulli sentiunt, Deus aliquos eximie sanctos destinauit ad gloriam antecedenter & efficaciter: alios uero, qui tamen re ipsa saluantur, consequenter tantum ad præuisionem meritorum. Nam in utriusque erit idem ordo obiectorum, ita scilicet ut merita sint prius, & gloria postea conferatur. Est tamen contrarius ordo decretorum: quorum vnum fundatur in præscientia meritorum, & ab illa virtualiter pender: non uero alterum.

Manet itaque probatum ordinem actuum, & decretorum diuinarum, non esse tantum denominationem extrinsecam ab ordine obiectorum. Iam uero quòd neque sit tantum denominatio extrinseca sumpta ex nostro modo intelligendi & uolendi, probatur quia, si actus diuini non aliter ordinarentur, sequeretur quemlibet actum diuinum esse aliòd priorem, prout nos illum priorem esse concipimus pro libito, aut prius illum intelligimus. Hoc autem est absurdum. Ergo & illud ex quo sequitur. Probatur sequela: quia si nulla est inter actibus ipsis virtualis præsuppositio, nullumque fundamentum concipiendi vnum uelut aliòd priorem, propter uirtualem præsuppositionem, sed tota denominatio prius & posterioris ex eo solùm est, quòd nos pro libito prius aut posterius, uel prio-

rem aut posteriorem esse concipiamus, & ex eo denominatur vnus actus prior, alius posterior: sequitur manifestè vnum esse aliòd priorem, prout nos pro libito concipimus illum esse priorem, aut prius illum intelligimus. Absurditas uero sequelæ probatur primò, quia sequeretur vnum & eundem actum diuinum esse aliòd priorem simul & posteriorem, prout ab vno prior esse concipitur, aut prius intelligitur; ab aliòd, posterius: sicut eadem columna potest simul uari esse dextra, & alteri sinistra. Atque ita tam verum erit dicere Deum præuidisse peccatum Iudæ, & mortem in statu peccati, quia uoluit eum damnare, uo Caluinus de ipso, & de alijs reprobis impiè cogitauit: quàm verum est dicere Deum uoluisse illum damnare, quia præuidit ipsum peccaturum, & in statu peccati moriturum: ut de ipso, & alijs reprobis docet fides Catholica, cum Arausico. can. 25. & Trident. sess. 6. can. 7. Item si aliquis prius concipiat actum essentialem uoluntatis diuinæ, quàm actum essentialem intellectus, ille erit prior, hic posterior: quia non est prior neque posterior nisi per extrinsecam denominationem ab actu intellectus creati, prius aut posterius concipientis.

Probatur secundo absurditas eiusdem sequelæ, quia quando à Theologis quaeritur utrum homines prædestinentur efficaciter ad gloriam ante præuisa merita, uel post: id est, dependenter, uel independenter à præuisione meritorum? uel an Christus fuerit deceptus antecedenter ad præuisionem peccati, uel consequenter? sensus quaestionis erit, an nos prius intelligamus, aut prius esse concipiamus uoluntatem efficacem dandi gloriam, aut mittendi Christum; quàm præscientiam meritorum, uel peccati Adæ? A hoc sensu quaestio esset ridicula: & utraque sententia esset euidenter uera. Est enim euidentis eos, qui affirmant, concipere priorem esse uoluntatem efficacem dandi gloriam, & mittendi Christum. Alios uero intelligere priorem esse præscientiam meritorum, & peccati Adæ. Alius ergo est sensus utriusque tam grauis & celebris controuersia. Nempe utrum ex parte ipsius Dei, & actuum diuinarum, fuerit uirtualis præsuppositio vnus ad alterum, & vnus actus fuerit ratio & causa uirtualis alterius, id est, utrum efficaciter saluare uelit ideo quia præuidet merita, & non aliter? Utrum decreuerit Christum mittere quia præuidit lapsum humani generis, ita ut præuisio humanæ miseriæ ipsum mouerit ad mittendum reparatorem, quem alioqui non misisset?

Confirmatur quia sine aliquo ordine uirtuali inter ipsos actus Dei, non possunt esse uera quæ de utroque mysterio docent Scriptura & sancti Patres. Docent enim Deum uoluisse incarnationem propter salutem hominum: idque ueniens Ecclesia profiteretur in Symbolo Nicæno. Hoc autem est dicere

56
Scripura & S. Patres docent esse uirtualem ordinem inter actus diuinos.

Deum voluisse incarnationem, quia voluit salutem hominum: non autem quod nos pro libito & sine fundamento in re, prius concipiamus voluntatem salutis hominum, quam decretum incarnationis: vel quod pro nostro arbitrio concipiamus vnam ex istis voluntatibus esse priorem alia: neque ab eiusmodi concipiendi modo vna extrinsecè denominetur prior, altera posterior. Item Scriptura & Patres docent Deum voluisse electis gloriam, partim antecedenter & à seipso, nimirum per modum beneplaciti: partim etiam ex prauisione operum, voluntate scilicet efficaci. At vero damnationem hominum, nullo modo voluisse à seipso, sed solum data extrinsecè occasione ab ipsorum peccatis: quam occasione Deus non intendit neque procurauit: cum è contrario salutem eorum intenderit & per media sufficientia procurauerit. Hoc autem non potest esse, neque intelligi, sine ordine virtuali inter actus diuinos, ita vt prauisio bonorum operum fuerit ratio cur hos potius quam illos efficaciter praeordinauerit ad gloriam: & prauisio peccatorum fuerit ratio cur aliquos ab aeterno reprobauerit, & ad aeternam damnationem destinauerit.

67. Maior patet ex sequentibus Scripturae & Patrum testimonijs. *Perditio tua Israel, id est, ex te, tantummodo in me auxilium tuum, Osee, 13. Vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis uos uocauit, 2. Timoth. 3. antecedenti scilicet voluntate, qua neminem uult perire, vt confirmat Petrus Apostolus epist. 2. cap. 3. vers. 9. & Deus ipse id expresse affirmat apud Ezech. c. 18. vers. 23. dicens, non esse uolentis suae mortem impij, sed magis ut conuertatur & uiuat. Quia tamen non omnes saluantur, neque omnes ab aeterno fuerunt efficaciter electi ad gloriam, sed aliqui reprobati & destinati ad poenam aeternam: rationem huius differentiae reddit Christus ex prauisione operum bonorum, uel malorum. Matth. 25. cum sic ait, Venire benedicti Patris mei, possidete paratum uobis regnum &c. Esurini enim, &c. id est, vt rectè exponit Chrysostr. hom. 80. in Matth. Quia sciebam uos, antequam nati essetis, quomodo futuros, hac & me uobis preparata sunt. Quod est aperte dicere prae-*

Chrysostr.

scientiam fuisse causam cur preparauit, id est, cur his potius quam alijs vitam aeternam dare decreuerit. Nominè enim preparationis Scriptura hoc loco Matth. 25. & pluribus alijs, electionem ad gloriam intelligit, ut expresse fatetur auctor, quem impugnamus cap. 51. libri de ordine num. 7. Et Ambros. lib. 5. de fide cap. 3. Quos praesciuit & praedestinauit: quia non ante praedestinauit, quam praesciuit, sed quorum merita praesciuit, eorum praesentia praedestinauit. Et in cap. 9. epist. ad Rom. circa illa uerba, Iacob dilexi, Esau autem odio habui: Vnum, inquit, elegit praescientia, alterum spreuit. Ibidemque ait Deum id facere non vt acceptorem

Ambros.

personarum, sed vt praescium futurorum. Similia habent Origen. & Chrysostr. ibidem. Et Hieronymus in cap. 1. Malachi. exponens eadem uerba ab Apostolo repetita, *Dilectio, inquit, & odium Dei, vel ex praescientia nascitur futurorum, uel ex operibus. Alioqui nouimus quod omnia Deus diligit, nec quicquam oderit eorum qua creauit: antecedente scilicet & à se, sine data occasione ex parte creaturae qua ipsum mouerit ad odium. Vbi cum ait Hieronymus dilectionem & odium Dei nasci uel ex praescientia futurorum, uel ex operibus: utrumque eodem modo recidit. Non enim potuit ab aeterno nasci ex operibus nondum existentibus, nisi vt praescitis. Dilectio autem & odium Dei ab aeterno sunt. Et Iosop in respons. ad Capita Gallorum, resp. 3. de peccatoribus finaliter impenitentibus, sic ait, ideo praedestinati non sunt, quia tales futuri ex uoluntaria praeuicacitate praesciti sunt.*

Rursus ijdem sancti Patres communi consensu docent Deum uelle quidem à seipso benefacere hominibus. At non nisi propter bonum uoluntatem uelle ipsos punire, uelut ab illa coactum & inuitum. Ita Origen. lib. 4. contra Celsum longe post medium, ait iam non esse affectum Dei, sed unumquemque eam sibi peccatis suis contrahere. Et Basil. in Psalm. 29. exponens uersum illum, *Quoniam ira in indignatione eius, & uia in uoluntate eius,* sic ait, *Uiam itaque Deus cuique propria uoluntate tribuit. Iram uero sibi quisque iubeaturat in die ira & reuelationis iusti iudicii Dei.* Et Chrysostr. hom. 67. in Ioan. sub. finem, *Hac autem dicit, scriptura, ut nostra causa deserui nos & nobis ipsis perditionis nostra auctores esse demonstret. Deus autem non modo nos non delinquere & punire uult: sed quoties puni, inuisus puni: Simili modo loquuntur SS. Epiphani. lib. 1. haeresi 38. post medium, August. epist. 105. columna 5. Saluian. lib. 4. de prouidentia, & plures alij.*

In quibus sanctorum Patrum testimonijs nota primò, ipsos non dicere tantum Dei naturam esse propensiosem ad miserendum quam ad puniendum, ut responderit auctor libri de ordine cap. 39. in fine: sed negare penitus Deum uelle punire nisi ex occasione peccati. Nota secundò, Patres non loqui tantum de ordine executionis, & de ordine temporis, aut causalitatis inter obiecta, ut responderit Aduersarius initio eiusdem capitis 39. significando tantum Dei electionem aut reprobationem praecessisse ordine temporis executionis, seu collationem praemij uel poenae: uel unum ex obiectis fuisse prius tempore, quam aliud: aut unum ex illis esse causam alterius, peccata scilicet esse causam damnationis & poenae aeternae, bona uero opera esse causam gloriae. Nam manifestè loquuntur etiam de rebus ipsis diuinis, & de ordine inter ipsos: cum expresse dicunt Deum praedestinasse & preparasse gloriam unis & non alijs, quia

præscit eos esse futuros bonos, vel malos, ut loquitur Chrysoſt. ſupra citatus: vel quia præcogniti ſunt à Deo, ut ait Proſper: & dilectionem ipſam, vel odium Dei, naſci ex præſcientia, ut affirmat Hieronymus: & vnum eligi, alterum ſperni à Deo, non ut acceptorè perſonarum, id eſt, ex mero beneplacito, ſed ut præſcio futurorum, quemadmodum ait Ambroſ. Et Deum non velle à ſeipſo punire & damnare, ſed ſolum data extrinſecus occaſione ab hominum peccatis, non ab ipſo quaſita, ſed potiùs contra antecedentem ipſius voluntatem & beneplacitum eueniente, ut aiunt Origenes, Baſil. & alij proximè relati. Quibus verbis nihil clariùs dici poteſt ad ſignificandum eſſe ordinem virtuales inter ipſos actus diuinos: & præſcientiam fuiſſe Deo cauſam cur ab æterno voluerit efficaciter vitam æternam vnis dare, alios morti æternæ addicere. Itaque non ſolum peccata ſunt cauſa mortis æternæ, & tempore illam præcedunt: neque tantum ab æterno Deus voluit mortem æternam eſſe effectum peccatorum: ſed etiam voluit ab æterno mortem æternam inferre reprobis, propter ipſorum peccata præuiſa. Ita ut præuiſio peccatorum Deum mouerit ad mortem illis decernendam, & iplamè damnandi voluntas non fuerit niſi ex occaſione malitiæ hominum præuiſæ: atque adeo virtualiter præſupponat præſcientiam peccatorum, quæ Deum mouerunt ad volendum illis ſempiternum exitium.

70.
Deus non potest antecedenter & à ſe ſolo reprobare poſiuit.

Quod ampliùs confirmatur, quia licet Deus antecedenter, & à ſe ſolo, potuerit velle hominibus gloriam independenter à præſcientia bonorum operum; ſue inefficaciter, & ſimplici deſiderio, ut re ipſa voluit omnibus: ſue etiam efficaci voluntate, ut multi de electis putant: impium tamen eſt exiſtimare Deum antecedenter & à ſe, nulla data occaſione ex parte creaturæ, velle homines damnare. Nec vltimus eſt Theologorum qui dixerit reprobationem, id eſt, internam & æternam Dei voluntatem damnandi reprobos, non aliam habere rationem, quàm ipſum Dei placitum volentis à ſeipſo & pro mero arbitrio damnare aliquos, æternoque exitio illos deuouentis, quia ſic placuit, non quia ipſi peccatis ſuis occaſionem ſeipſi dederunt. Sed è contrariò omnes catholici deteſtantur ut impiam, & blaſphemam, Caluini doctrinam (cuius etiam plurimos Caluinistarum puduit, ita ut illam diſſimulare conati ſint) ſcribentis lib. 3. Inſtitut. capit. 22. numer. 11. *Si non poſſumus rationem assignare cur ſuos miſericordia dignetur, niſi quia illi ita placet: neque etiam in alijs reprobandis, aliud habebimus, quàm eius voluntatem.* Et capit. 23. numer. 1. *Minimè conſentaneum eſt preparationem ad interitum aliò transferre, quàm ad arcana conſilium Dei.* Et iam pridem in Concilio Arauſic. can. 25. ita contra hunc errorem, à Caluino

Caluini

renouatum, pronunciatum fuerat: *Aliquos ad malum diuina poteſtate prædeſtinatos eſſe non ſolum non credimus: ſed etiam ſi qui ſunt qui tantum malum credere velint, non omni deteſtatione illis anathema dicimus.* Itaque ex ſententia omnium Catholicorum, & doctrina Eccleſiæ, non ſolum ipſa executio damnationis, & pœnæ æternæ, habet pro cauſa peccatum, ſicut executio glorificationis habet pro cauſa receptionem ſacramentorum, vel martyrium, aut bona opera, ſine quibus nemo aſſequitur gloriam; ſed etiam ipſa reprobatio poſitiua interna, ſeu voluntas damnandi, & deſtinatio ad pœnam æternam, habuit pro motiuo peccata: atque adeo virtualiter præſuppoſiuit ipſorum præſcientiam: non enim Deum mouerunt ab æterno niſi ut præuiſa.

71.

Denique auctor ipſe libri de ordine caput 52. ſic inſcribit: *Reprobationem non omnino ex præuiſis demeritis eſſe, ſed ex Dei voluntate.* Quibus verbis ſi intelligit eſſe aliquatenus ex præuiſis demeritis, fatetur illam fundari aliquo modo in præſcientia demeritorum: & ita concedit illud ipſum quod intendimus, ſuæque doctrinæ fundamentum deſtruit, quod ſtare nequit cum hac aſſertione, communiter tamen ab omnibus catholicis recepta, ut certa, & à Scriptura, Concilijs, & Patribus ſupracitatis tradita. Verumtamen tam perplexè hac de re diſputat, ut non ſatis intelligam vtrum particula illa, *non omnino*, ſit modificatiua, an verò prorsus negatiua: & hoc poſito, vultne ſolum reprobationem negatiuam non eſſe omnino, id eſt, nullo modo eſſe ex præuiſis demeritis, ut videtur ſignificare in fine capitis: an verò etiam cum Caluino idem ſentiat de reprobatione poſitiua, id eſt, de interna & æterna ordinatione Dei ad mortem æternam, ut magis & ſæpius ſignificat numer. 7. & ſeptem conſequentibus, vbi ſolam executionem pœnæ videtur peccatis tribuere, reliquit. vero eſſe à mera Dei voluntate. Sic enim putat intelligendum eſſe illud Apoſtoli Rom. 9. *Cum nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent vel mali &c.* Et ratio quam numer. 14. ſubiungit, idem probat. Nam, inquit, *Deus eſt prorsus independens ab omni creatura, idemque cum ſit, primum mouens, proindeque mouens immobile; à nulla re, ſue phyſicè, ſue moraliter, moueri, impelli, vel obligari poteſt ad quicquam faciendum: ſed ex propoſito voluntatis ſue facit quicquid facit.* Ergo quem vult prædeſtinat, & quem vult reprobat. Hæc ille: quæ non minus probant reprobationem poſitiuam eſſe ex mera Dei voluntate. Nam ſi Deus non poteſt moueri à creatura ad quicquam faciendum, cum ſit mouens immobile, ergo non potuit ab illa moueri, & ab eius peccatis, ut eam poſitiue ordinaret ad mortem æternam: Imò etiam neque ad illam exequendam, ſed pro mera ſua voluntate exequitur.

TINO
US
part
VI

Similiterque exequutio prædestinationis non erit ex meritis prædestinatorum: imò nulli esse poterunt merita hominum apud Deum, quia Deus non potest moraliter moueri, aut obligari ab vlla re, ad quicquam faciendum. Quin etiam Christi Domini opera non potuerunt mereri, & Deum mouere moraliter aut obligare ad quicquam faciendum. Quæ omnia quàm sint absurda, & aliena à fide catholica, nemo non videt.

SECTIO VIII.

Respondetur argumentis contraria sententia.

EX dictis facile erit respondere argumentis, quæ contra ordinem decretorum Dei opponit idem auctor cap. 36. num. 6. & sequentibus. Primum est quia, Quemadmodum (inquit) ex eo quòd de Deo, eiusque scientia, voluntate, aliisque perfectionibus, enunciationes variolque discursus former intellectus noster, inde non sequitur vllam Deo cognitionem enunciationem, aut discursivam, etiam extrinsecè, tribuendam esse: ita ex eo, quòd certo quodam rationis postre ordine, prius vel posterius Dei actus, siue intellectus, siue voluntatis, concipiamus, non propterea conceptum nostrorum ordo diuinis actibus attribuendus est. Nullum enim nosse, nullumque attributum in conceptu suo proprio suaque formali significatione inuolvens imperfectionem, Deo propriè tribui, de eoque affirmari debet. At ordo qui est in rebus creatis, vel in nostris conceptionibus & volitionibus, in suo conceptu formali imperfectionem includit, nempe multitudinem, compositionem, & dependentiam ab alio, vel ignorantiam & impotentiam aliquam. Quod enim, verbi gratià, velimus aliquando finem, non cogitando de medijs, & statuamus facere aliquid, antequam vel illum circumstantijs particularibus cogitemus, & eas eligamus, id ex nostra oritur ignorantia, vel impotentia, quæ sit vt finem cogitantes aut volentes, quæ ad illum conducunt & nobis possibilis sunt ignoremus. Deus autem non tantum simul duratione, sed vno eodemque simplici actu perfectè nouit & decernit omnia: nihilque vt nos intelligit aut decernit imperfectè, successiue, inadæquate, aut cum vna vel altera tantum obiecti circumstantia: sed cum omnibus & singulis, etiam minoribus, cuiusque rei conditionibus & circumstantijs.

Respondet patere ex dictis, num. 35. & sequent. non tribui Deo actibus ordinem virtuales prioris & posterioris, ex eo quòd

prius & posterius illos concipiamus, sed ex eo quòd actus diuinus, quamuis realiter simplex & indiuisibilis, æquiualeat multis distinctis in creaturis, & ita se habentibus ad inuicem, vt vnus ab alio pendeat, illumque præsupponat ordine causalitatis. Quæ æquiualeantia, & præsuppositio virtualis, est prior nostris conceptibus, & fundamentum atque regula, secundum quam debent à nobis ratione distingui, & rectè ordinari cõsilia diuina, concipiendo vt prius, illud quod virtualiter alteri præsupponitur & Deo fuit ratio vel occasio volendi hoc aut illud. Hæc autem æquiualeantia actus diuini ad multos ratione distinctos, nullam imperfectionem includit, sed potius magnam illius perfectionem, arguit. Sicur summa & infinite perfectionis est quòd diuina entitas simplicissima realiter, æquiualeat & infinite supereminet omnibus entibus creatis & possibilibus extra Deum. Posita quoque huiusmodi æquiualeantia, & distinctione virtuali inter actus diuinos, nulla est imperfectio, in eo quòd sit inter illos virtualis præsuppositio, per æquiualeantiam ad actus creaturarum realiter subordinatos. Non enim propterea est in Deo realis multitudo actuum, & compositio, vel dependentia actualis & formalis vnus actus ab alio: neque ignorantia, vel impotentia. Sed quamuis vnico actu realiter intelligat & velit perfectè, sine successione & inadæquate: ille tamen actus quatenus est cognitio obiecti sub ea ratione quæ amatur, & quatenus est volitio eiusdem obiecti secundum illam rationem, habet virtualem distinctionem & præsuppositionem, æquiualem illi, qua nos distinctis actibus cognoscimus obiectum & motiuum volendi, illudque naturà posterius volumus. Et actus quo Deus simul perfectè & adæquate tendit in finem, & in rebus vel circumstantijs propter ealem finem, æquiualeat pluribus actibus, quibus nos imperfectè, inadæquate, & cum successione temporis, volumus prius finem, posterique cogitamus & decernimus de medijs & circumstantijs eligendo hoc aut illud medium, & hanc vel illam circumstantiam, præ alia, propter hoc aut illud quòd mouemur ad illam potius eligendam. Cumque Theologis queritur an Deus prius hoc aut illud voluerit: vel an prius præsciuerit hoc aut illud, quàm tale quid decreuerit, siue quoad substantiam, siue quoad aliquam modum aut circumstantiam: non est sensus fuerit in Deo successio actuum, & realis ac physica dependentia & causalitas inter actus, sed vtrum voluerit hoc propter illud: aut præscientia illius fuerit ratio cur voluerit: ita vt cum fundamentum in se verè dici possit, Deus voluit incarnationem & mortem Christi, quia voluit salutem hominum. Deus voluit ab æterno damnare Iudam, quia præiudicium eius peccatum & impenitentiam finalem.

Secundum

74. Secundum argumentum eiusdem auctoris est, quia, inquit, ad res Theologicas, vel fidei mysteria, Deique opera, ad extra, commode explicanda, nulla prius est huius ordinis necessitas, nulla utilitas. Quamvis enim intellectus nostri limitatio & imperfectio cogat nos actum illum diuinum, realiter simplicem, in multos conceptus parti: nulla tamen nos ratio, vel necessitas, vel utilitas cogit, actus diuinos, nostra solum ratione distinctos ordinare, & secundum prius ac posterius quasi successiuos disponere.

Malta diuina mysteria non possunt sine tali ordine explicari, neque

Respondeo neque mysterium Incarnationis, ver. gr. vel prædestinationis, fuisse aut esse potuisse, quale re ipsa fuit, sine virtuali distinctione & præsuppositione actuum diuinorum: neque posse à nobis explicari, nisi loquendo de actibus diuinis, vt subordinatis virtualiter secundum prius & posterius, ordine causalitatis & virtualis præsuppositionis. Cum enim fides, doceat miseriam hominum, & amorem salutis eorum, mouisse Deum vt filium suum vnigenitum daret, I. Ioh. 3. non potuit hoc esse, neque potest à nobis intelligi & explicari, sine virtuali præsuppositione præscientiæ diuinæ circa miseriam hominum, atque etiam amoris circa eorum salutem, ad decretum æternum quo voluit Christum venire, vt eos à peccato liberaret. Similiterque cum Scriptura affirmet Deum antecedenter & à se velle omnes homines saluos fieri, 1. Timoth. 2. neminemque velle damnare nisi propter peccata: non potest hoc esse neque intelligi, sine virtuali præsuppositione præscientiæ peccatorum, ad positiuam reprobationem & voluntatem damnandi, vt fufius ostendimus sect. præcedenti.

75. Sed non propterea ordinamus actus diuinos vt successiuos, & duratione priores & posteriores: neque talem illis ordinem assignamus. Quemadmodum quando ratione distinguimus eisdem actus (quod vtiliter fieri admittit auctor ille), non propterea illis actualem distinctionem attribuiamus: sed tantum virtualem eorum, amplitudinem & præsuppositionem, siue æquivalentiam ad plures actus subordinatos inter se, explicamus. Sic etiam liberas actuum humanorum prædefinitorum efficaciter à Deo, si qui tales sunt, non potest saluari & explicari, sine virtuali præsuppositione scientiæ mediæ, ad prædestinationem diuinam. Fruolum enim est quod ait auctor ille cap. 41. numero 3. sufficere quod Deus omnia præsciat perfectissime, & quod nec eius præscientia falli, nec decretum frustrari possit. Sic enim, inquit, si ab æterno præsciuisset & decreuisset aliquem effectum, ex. gr. actum nostræ voluntatis, fore liberum, hoc est, sic ab ea producendum, vt tamen eam, quantum est ex se, possit

Neque prædefinitio actuum liberorum

non producere: Dei præscientia & decretum efficax libertati nostræ non modò nihil oberit, sed ad eam statuendam, & in rebus natura ponendam, planè necessaria erit. Hoc, inquam, planè frivolum est, & iam sapius à nostris refutatum. Deus enim, quia perfectissime & verissime omnia præscit, non præscit voluntatem nostram esse liberè operaturam, nisi eo modo quo liberè operata erit. Neque potest prædecernere vt liberè operetur, nisi eo modo quo potest liberè operari. Atqui, vt idem auctor fateatur alibi, non potest liberè operari, nisi sit in eo statu, vt etiam positis omnibus ad agendum prærequisitis possit non operari. Ego quando prædecernit actum eius liberum, prædecernit vt ab illa ponatur ita vt possit non poni in iisdem omnibus circumstantijs antecedentibus, in quibus illum ponit. Ergo vt Dei prædefinitio efficax, & infallibilis, non exponatur periculo falsitatis, debet Deus, vt decernat efficaciter actum illum, certus esse infallibiliter quod voluntas, si constitatur in illis circumstantijs, ponet hunc actum, tamen si poterit illum non ponere. At hoc Deus non præscit certò & infallibiliter, nisi per scientiam mediæ, quæ nouit voluntatem creatam esse liberè sic operaturam, si ponatur in talibus circumstantijs, eo ipso quod verum est illam esse sic operaturam in tali causa: nam aliunde non habet, vnde certò & infallibiliter præsciat, vt alibi ostendimus. Ergo decretum illud efficax præsupponit virtualiter scientiam mediæ, & in ea fundatur.

76. Tertium argumentum: Cum sint à parte rei multiplices ordines in obiectis actuum diuinorum: quid causa est cur actus diuini ordinem & denominationem prioris & posterioris, ab ordine causalitatis qui est in ipsis obiectis, sumant potius, quàm ab ordine vel temporis, vel dignitatis, in iisdem obiectis existente? Ita vt ordine temporis decretum Dei de creando Adamo, dicatur prius decreto de Dauide: & vtique, prius decreto de Christo creando. Ordine vero dignitatis contra, decretum de Christo creando, prius decreto de Dauide aut Adamo.

Respondeo hoc argumentum falsò supponere decreta diuina non aliter à nobis ordinari, quàm transferendo ordinem obiectorum ad actus diuinos: & affirmando actus diuinos esse ordinatos inter se, ex eo quod obiecta, in quæ tendunt, habeant aliquem ordinem prioris & posterioris: ac denique ordinem actuum diuinorum nihil esse aliud, quàm extrinsecam denominationem ab ordine obiectorum. Quod falsum esse patet ex dictis sect. præcedenti. Ostendimus enim, vltra ordinem obiectorum, admittendum esse

in Deo virtualem ordinem ipsorummet actuum, & virtualem præsuppositionem vnius ad alium, non semper conformem ordini obiectorum, neque ab illo petitur, sed ex modo quo Deus se habet intrinsecè & in seipso circa obiecta intellectus & voluntatis suæ, intelligendo & volendo ordinatè, virtuali quodam ordine, æquivalente nostro reali, quo prius intellegimus, quàm volumus, aut vnum volumus, quia volumus aliud, vera & reali præsuppositione, & causalitate vnius actus ad alium. De quo ordine prioritatis, & virtualis causalitatis inter actus diuinos nunc disputamus: non autem de ordine temporis, qui inter actus diuinos nullus est, cum omnes sint ab æterno, vt suo loco ostendimus: neque de ordine dignitatis, quem non diffitemur esse, vt patet ex dictis disput. 3. sect. 10.

77. Quartum argumentum: Cum pleraque obiecta sibi inuicem causæ sint, saltem in diuerso genere, vt medium & finis, ambulatio & sanitas, gratia & gloria: decreta Dei de illis obiectis se inuicem priora & posteriora dicenda erunt: quod tamen non dicunt quæuismodi ordinem asserunt.

Respondeo hoc argumentum falsè quoque supponere ordinem actuum diuinatorum, iuxta nostram sententiam, non esse aliud, quàm extrinsecam denominationem ab obiectis. Quod esse falsum, & contra mentem eorum quos impugnat, facile poterat videre Aduersarius apud Didacum Ruis, quem præcipuè impugnandum suscepit, quique ipsius iudicio fufus & accuratius hac de re disputauit. Ille enim disp. 22. de voluntate Dei, sect. 1. num. 6. disertè ait controuerfiam de ordine actuum diuinatorum in eo consistere, vtrum noster intelligendi modus, & ordinandi actus diuinos, id est, concipiendi actus diuinos vt ordinatos inter se, habeat fundamentum reale & verum in Deo, ita vt ratio assignandi prioritates actionum diuinarum non sit solum quia Deus cognoscit & vult quædam obiecta esse priora alijs obiectis, sed etiam sit alia ratio prioritatis, propria, & intrinseca diuinis actionibus. Deo igitur, ad ordinem, de quo disputamus, impertinens esse quod obiecta sint ad inuicem priora & posteriora, siue in diuerso genere causæ, siue etiam in eodem vt contingere posse auctor iste imaginatur cap. 11. tit. 4. & sequentibus. Nam quemcunque ordinem habeant inter se obiecta, non est propterea, ordo virtualis intrinsecus inter actus diuinos, nisi vnius obiecti cognitio, aut volitio, præsupponatur cogitationi, aut volitioni alterius, tanquam ratio vel conditio, virtualiter prærequisita, per æquivalentiam ad actus nostros realiter & actualiter alios, alijs præsuppositos.

78. Eodem vitio laborant quicumque & sextum argumentum eiusdem auctoris: de quibus

idcirco plura dicere superfedeo. Vltimum verò quod proponit cap. 27. num. 2. sic habet: Operationes internæ Dei absolutæ (neque enim hic agitur de reatiuis, & processionibus personarum diuinarum) à parte rei sunt vna & simplex essentia diuina: nec multæ sunt, nisi secundum rationem nostram, & per denominationem extrinsecam à multis & diue sis nostris conceptibus, quibus vnam illam essentiam apprehendimus. Igitur inter eas nullus est ordo intrinsecus: sed solum extrinsecus, à nostrarum intellectuum, vel ab obiectorum se circa quæ versantur, ordine.

Respondeo non esse quidem inter actus diuinos actualem distinctionem, quasi à parte rei vnus non sit alius: sed solum virtualem & fundamentalem, per æquivalentiam ad plures actus distinctos. Quæ æquivalentia est actu, & non fit aut fingitur per nostros conceptus diuersos, sed illis præsupponitur; estque fundamentum & causa cur de essentia & de entitate diuina, quamuis simplici à parte rei, possint formari conceptus diuersi & dissimiles, quibus eius amplitudo virtualis, & æquivalentia ad multa, meliùs exprimitur. Similiterque non est inter actus diuinos præsuppositio actualis, & realis dependentia vnius ab alio: sed virtualis, in eo consistens, quod vna & simplex entitas diuina æquualet multis actibus inter se subordinatis, & tendit modo æquivalenti in obiectum. Qui tenderi modus est nobis fundamentum concipiendi actus diuinos vt subordinatos: sicut amplitudo virtualis est nobis fundamentum concipiendi eorundem vt distinctos.

In forma igitur, distinguo antecedens. Operationes diuina absolute, id est, non reatiua ad intra, non sunt multæ nisi secundum rationem nostram, & per extrinsecam denominationem à nostris conceptibus diuersis, actuali & formali distinctione, concedo: vir uali, nego. Ergo inter eas nullus est ordo intrinsecus, sed solum per denominationem extrinsecam à conceptibus nostris: distinguo similiter. Non est ordo intrinsecus actualis & formalis, quem explicamus diuersis nostris conceptibus, nego. Non enim negamus posse actus diuinos, à nostris conceptibus suis ordinantibus, denominari extrinsecè ratione ordinatos: sicut ab iisdem conceptibus, quibus distinguiimus & diuersimodè concipimus actus diuinos, denominantur ratione distincti: sed dicimus præcedere in Deo fundamentum distinguendi & ordinandi, propter virtualem amplitudinem & præsuppositionem, qua de causa dicuntur distinguui ratione ratiocinata, id est, habente fundamentum in re, & non magis ad placitum. Cætera quæ opponit idem auctor, sunt minoris momenti, & magna ex parte sunt inutilis repetitio præcedentium argumentorum.

Ruis disput.
22. de voluntate Dei
sect. 1. n. 6.

SECTIO IX.

Sintne in Deo decreta conditionata?

79.
Datur in Deo decreta conditionata

Communis sententia Theologorum est aliqua esse in Deo decreta conditionata, vltra decreta absoluta, de quibus nemo dubitat. Vocantur autem conditionata, illa quæ conditione aliqua suspenduntur, quam explicamus per particulam, Si. Huiusmodi est voluntas, quam Deus habuit antecedenter, & à seipso, saluandi omnes homines, vt testatur Apostolus 1. Timoth. 2. si nimirum ipsi à Deo excitati, & adiuui per media idonea, velent cooperari, vt exponunt Ambros. & Hieronym. in hunc locum, alique Patres. Quæ voluntas, respectu eorum qui cooperantur, transit in absolutam. Respectu verò aliorum, mansit conditionata. Et quidem cum Deus det etiam reprobis media sufficientia, quibus possint saluari si velint: habet aliquam voluntatem & desiderium ad saluendum, vt cuius media idonea illis suppeditat. Adeo vt desiderium illud sit aliquatenus efficax, quatenus procedit ad mediaram sufficientiam exhibitionem, & ad præstanda ea omnia, quæ ex parte Dei necessaria sunt, vt possint ad salutem peruenire si velint. Sed non est voluntas efficax dandi salutem ipsam & vitam æternam, nisi accedente conditione, quæ posita, transit in absolutam.

80. Huiusmodi etiam fuit decretum mittendi Angelos in auxilium Christi, & liberationem e manibus Iudæorum ipsum comprehendentium, si ipse voluisset, & Patrem rogasset, Matth. 26. quod decretum fuit purè conditionatum, quia Christus non rogauit. Itemque illud 1. Reg. 13. *Nec custodisti mandata Domini Dei tui. Quod si non fecisses, iam nunc praparsset Dominus regnum tuum super Israël in sempiternum.* Quibus verbis significauit Samuel Regi Sauli, statuisse Deum, illum eiusque posteros regnare in perpetuum super Israël, si ipse mandatis eius obediuisset, quod non fecit. Et 4. Reg. 13. *Si percussisses Syriam usque ad consumptionem.* Quibus verbis Elizeus certè affirmauit Regi Ioas fuisse à Deo decretum, vt, si terram iaculo toties percussisset (quod non fecit) integram de Syrijs victoriam reportaret. Similia multa decreta Dei conditionata habentur in Scriptura, quæ colligit & expendit Didac. Ruus disput. 71. de scientia Dei sect. 7. vbi rectè addit numero 19. tale etiam fore, aut potius esse, iuxta probabiliorem sententiam, decretum assumendi naturam impassibilem

Ruus

& immortalem, si non peccaret Adamus. Quod decretum continebatur in absoluto & efficaci decreto assumendi naturam humanam propter bonitatem intrinsecam incarnationis, & propter ostensionem attributorum quæ in ea relucet, tanquam propter morium sufficiens. Notat etiam idem auctor disput. 20. de voluntate Dei sect. 3. numero 10. *Doctos aliquos recentiores existimare in voluntate Dei conditionata, conditionem non esse adiectam formaliter & explicitè: sed tantum virtualiter & implicitè: quæbus talis est absoluta complacentia Dei circa hominum iustificationem & gloriam, verbi gratia (& idem est de alijs obiectis) vt ex illa complacentia sequeretur in Deo volitio efficax nostræ iustificationis & salutis, nisi hominum libera voluntas obstaret.* Sed vt rectè addit num. 12. maior perfectio est, ac proinde concedenda Deo, quod explicitè, & formaliter velit totum id quod huiusmodi propositionibus continetur: *Placet mihi iustificatio & salus omnium hominum. Volo quantum est ex parte meâ saluare omnes, si velint: & illis dare media necessaria & sufficientia vt sententiam æternam consequantur, si velint illis vis, & auxilijs à me davis cooperari.* Et verò manifestum est Deum circa salutem reprobiorum non habuisse solùm nudam & simplicem complacentiam, qualem habet circa bona purè possibilis, quorum existentiam nullo modo desiderauit, neque vlla media vt existerent, tribuit. Nec illi tantum placet quod omnes homines possint saluari: sed vt expressè ait Apostolus 1. Timoth. 2. *Vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis peruenire:* idque voluntate aliquatenus efficaci, & tendente ad executionem per media sufficientia. Quare non est simplex complacentia boni illius vt possibilis: sed verum & sincerum desiderium illius consequendi, nisi obstet hominum malitia.

Huic doctrinæ communi refragatur auctor libri de Ordine cap. 21. vbi contendit nulla esse in Deo eiusmodi decreta conditionata. Primò quia, Tale decretum (inquit) vel esset de obiecto & conditione aliquando futuris, hoc est, de eodem obiecto, de quo est decretum absolutum: vel de obiecto aut conditione nunquam futuris. Neutrum autem dici potest. Non primum: Tum quia vanum omnino & inutile esset tale decretum, cum ad ponendum eius obiectum & effectum sufficiat decretum absolutum. Tum etiam quia alioqui de omni effectu absolute futuro, tam necessario, quam libero, Deus haberet decretum conditionatum. Cur enim de vno, potius quàm de alio? Imprudentis autem & stulti est velle conditionatè id omne quod vult absolute. Neque secundum

Illam non sunt simplex complacentia circa obiectum: sed verum desiderium vt si, si ponatur conditio; & voluntas exequendi.

81. Soluantur argumenta contraria.

ita ut esset de obiecto & conditione nunquam futuris: Tam quia frustra esset tale decretum, cum nullum esset habiturum effectum. Tam etiam quia de omnibus creaturis possibilibus, quæ nunquam erunt vel fuerunt, Deus haberet decreta conditionata.

Decreta conditionata sunt de obiecto & partim futuris, partim non futuris.

Ad maiorem propositionem respondeo decreta Dei conditionata aliqua esse de rebus aliquando futuris, & aliqua de rebus nunquam futuris. Nam ex. gr. decretum Dei conditionatum *Isaia 1. Si volueritis & audieritis me, bona terra comedatis*, fuit partim de euentu futuro, respectu eorum qui voluerunt & audierunt: partim de non futuro, respectu aliorum qui vocem Domini respuerunt. Et decretum antecedens saluandi omnes, si vellent vel medijs & auxilijs oblati, fuit partim de obiecto & conditione futuris, respectu eorum qui veniunt & saluantur: partim de non futuris, respectu aliorum.

82. Ad primam partem minoris, dico non propterea vanum esse, & inutile, decretum conditionatum quod est de obiecto & conditione futuris. Nam Deum mouet ad faciendum aliquid, quo iuuetur creatura ut ponat conditionem pendentem à sua voluntate. Exempti gratia, decretum antecedens & conditionatum saluandi omnes, si vellent cooperari, Deum mouit ad decernenda, & danda omnibus media salutis, necessaria & sufficientia. Neque ad hoc sufficit decretum absolutum, quod nullum fuit respectu reprobatorum, quibus tamen Deus media decreuit, & apponit, ex vero & sincero desiderio eos saluandi: respectu vero electorum, non fuit nisi ex præfatione operum, aut bono exitu finalis, ut suppono ex dicendis disputatio. 19. ideoque supposuit opera ex gratia facta, ut præuisa: & consequenter supposuit auxilia gratia, & voluntatem illa conferendi. Neque propterea requirit Deum habuisse decretum conditionatum de omni effectu absolute futuro, ut male inferi Aduersarius. Nam alia est ratio eorum quæ Deus à seipso vult absolute & efficaciter, ut mundum creare: Alia, eorum quæ non vult absolute & efficaciter nisi ex præuisione liberi consensus voluntatis creatæ, vel occasionis ab illa data. In prioribus decretum conditionatum esset inutile & superfluum. Secus vero in alijs, ut iam ostendimus.

83. Ad secundam partem eiusdem minoris propositionis, nego decretum conditionatum de obiecto & conditione nunquam futuris, esse frustra, & nullum habere effectum. Contrarium enim euidenter probauimus exemplo decreti conditionati de salute reprobatorum. Neque propterea sequitur Deum habere decreta conditionata de omnibus creaturis possibilibus, quæ nunquam erunt, vel fuerunt: quia Deus

non habet decreta inutilia, cuiusmodi essent ea quæ nullo modo pertinent ad bonum regimen creaturarum, ad exercendum in aliqua temporis differentia, vel ad virtutis perfectionem, aut non includuntur in decretis vniuersalibus, & aliquatenus efficacibus. Qua de re plura videri possunt apud Didac. Ruis disputat. 71. de scientia Dei, sectione 7. & sequentibus.

84. Opponit secundò, decretum conditionatum de obiecto & conditione nunquam futuris esse impossibile. Quod enim quis omnino & absolute vult non esse, manente illa voluntate, impossibile est eundem velle, siue absolute, siue conditionate, eius contradicere. Exempti gratia, si quis statuit absolute & omnino non ire Romam; quandiu manet illa voluntas, eum siue absolute siue conditionate velle Romam ire impossibile est. Respondeo primò, si hoc argumentum valeret, probaret Deum nunquam habuisse voluntatem saluandi reprobos: quippe quos ab æterno vult absolute damnare, propter eorum peccata præuisa: & illa voluntas semper in Deo manet. At hoc est contra Apostolum, 1. Timoth. 2. *Vult omnes homines saluos fieri*. Sequeretur etiam Deum nunquam voluisse conuersionem & salutem eorum, quos vocat ad penitentiam, & præuidet non esse confisuros. Quod est contra Scripturam 2. Pet. 3. vers. 9. *Nolens aliquos perire, sed omnes ad penitentiam reuerti*. Et Ezech. 18. *Nunquid voluntatis mea est mors impij, & non magis ut conuertatur & viuat?* Secundò dico eum qui absolute vult aliquid non esse ex occasione aliqua sibi displicente, & quam velle non euenire: posse habere simul tempore, atque etiam ratione priùs, desiderium ut illud esset, & affectum illud ponendi, si occasio illa non impediret. Arque ita Deus habuit ab æterno verum & sincerum desiderium saluandi reprobos, nisi eorum peccata & defectus cooperationis impedirent: quod impedimentum contra ipsius voluntatem & beneplacitum à creatura ponitur.

85. Opponit terciò: Decretum Dei conditionatum, seu de futuro conditionatum, est nostro concipiendi modo, vel ante, vel post, vel simul & concomitanter cum decreto absolute & efficaci, siue positivo, ponendi actu tale futurum; siue negatiuo, non ponendi illud idem. Non autè duratione: quia verumque esset æternum. Neque causalitate: quia eiusmodi conditionatum non est causa vllius decreti absoluti, siue positivi, siue negatiui: nec illius obiectum, est causa obiecti huius. Non etiam post: propter easdem causas. Nec denique simul & concomitanter: quia tale decretum conditionatum concomitans plane vanum & otiosum esset.

Sive enim poneretur cum decreto absoluto positivo eiusdem futuri, sive cum negativo, nihil plane conferret ad utrumque; nec ad futurum conditionatum ponendum, nec ad non ponendum.

Decretum conditionatum fitne simul cum absoluto de eadem re?

Respondeo decretum Dei conditionatum, de obiecto & conditione futura, ex gr. de salute electorum, si cooperentur medijs, ut re ipsa cooperabuntur, esse simul tempore cum decreto absoluto positivo de iisdem saluandis: & prius causalitate, quatenus eorum cooperatio supponit auxilia gratiæ quibus cooperabuntur: & auxilia supponunt voluntatem illa conferendi, quæ voluntas dandi media oritur virtualiter ex intentione finis antecedente, & desiderio conditionato illius consequendi. Sive potius vnum & idem decretum est, quod ratione prius est conditionatum, consideratum antecedenter ad prævisionem cooperationis: posita verò prævisione, est absolutum. Decretum autem conditionatum de obiecto & conditione nunquam futura, est etiam simul tempore cum absoluto negativo, seu cum voluntate non ponendi illud idem: quia utrumque æternum est: sed prius causalitate, quatenus decretum absolutum non saluandi reprobos, supponit negationem cooperationis & usus mediatorum. Usus autem iste supponit media esse oblata: oblato verò, & voluntas ea conferendi, supponit virtualiter intentionem finis, & voluntatem eos saluandi si velint cooperari.

Opponit quarto: Nullus defectus, nullaque imperfectio Deo tribuenda est. Omne autem decretum conditionatum imperfectionem arguit in eo, cui inest: nempe vel impotentiam, vel imprudentiam. Etenim conditio sub qua dicitur futurum, vel est in decernentis & conditionate voluntatis potestate, vel non est. Si non est: ex ea parte impotens erit. Si est: stulti & insipientis est velle conditionate, quod absolute & simpliciter velle & facere potest. Quis enim manu calami tenens, habensque chartam, & atramentum, & cetera ad scribendum necessaria, prudenter dixerit, Si haberem chartam & cetera necessaria, scriberem, aut vellem scribere? Cum igitur futurum conditionatum, tam ipsum quam eius conditio, sint in potestate Dei (*Omnia enim quæcumque voluit fecit, psal. 111. & Voluntati eius quis resistit? Rom. 9.*) impossibile est eum quicquam velle conditionate, aut velle aliquid sub conditione non posita.

Decreta conditionata erant imperfectio- ne impotentis & insipientis.

Respondeo concessa maiore, nego minorem. Ad cuius probationem dico esse quidem in Dei potestate saluare omnes homines, & efficere infallibiliter ut consentiant & cooperentur eius auxilijs: vnum tamen propter suam providentiam, & alios bonos fines, voluisse Deum crea-

turas liberas relinquere in manu consilij sui, nihilque decernere absolute de æterna earum salute, vel damnatione, sine præuiso eorum consensu, vel dissentiu, & bono usu vel abusu mediatorum. Itaque antecedenter, & virtualiter, seu ratione prius prævisione cooperationis, decretum saluandi electos ex merito Dei beneplacito, fuit conditionatum, si nimirum vellet ipsi cooperari auxilijs offerendis illius intentionis. Quod decretum transiit in absolutum, posita prævisione cooperationis: quæ cooperatio eiusque præuisio, præsupponit collationem auxiliorum, & voluntatem ea conferendi, & intentionem finis propter quem conferuntur. Omnis enim voluntas mediatorum ad aliquem finem, ut talium, includit & præsupponit virtualiter voluntatem consequendi finem. Quamvis ergo fuerit in potestate Dei saluare omnes homines: Potuit tamen Deus conuenienter sic statueret ab æterno: Volo creaturas liberas integre suæ libertati relinquere: & desidero quidem eas omnes saluare, si velint auxilijs à me datis liberè cooperari: ita tamen ut liberum illis relinquam cooperari aut non cooperari. Sane Christus neque impotens erat, neque imprudens; & habebat in sua potestate efficere ut omnes Iudæi conuerterentur, & ad ipsum accederent. Et tamen ait *Matth. 23. Ierusalem quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & non misisti!* Habebat ergo Christus affectum circa eorum conuersionem & salutem, illumque eximium, ut testatur comparatio gallinæ, quam ad illum, exprimeandum adhibet. Sed quia erat conditionatus, & cuius conditio pendeat à libera voluntate Iudæorum, non habuit effectum. Idque non ex defectu potentie vel prudentie in Christo: sed ex suauitate eiusdem & Dei ordinatione, qua Iudæorum salutem, & conuersionem, eorum liberæ potestati permittebat: neque volebat efficaciter & absolute eos conuertere, nisi ipsi liberè vellet. Similique modo is qui iustus de causis posset aut deberet se accommodare voluntati alterius, posset aliquid velle conditionate tantum & dependenter ab illius voluntate, quamvis haberet omnia ad illud faciendum necessaria. Ex. gr. ieruus calami tenens, & habens omnia ad scribendum necessaria, posset dicere Domino, Scriberem si iuberet: aut, Volo scribere si permittis. Itaque non satis considerate dictum est generaliter ab auctore huius argumenti, *Stulti & insipientis esse velle conditionate, quod absolute & simpliciter velle & facere possit.*

Opponit quinto: Sicut futurum conditionatum, quod est pure tale, non est vere futurum, nec conditio, sub qua futurum dicitur.

TINO
US
MI

ur, vnquam ponenda est, proindeque nunquam erit tale futurum: ita decretum conditionatum in Deo, non est verum & positium decretum. Respondeo nullam esse consequentiam. Quamuis enim res non sit absolute & positue futura, defectu conditionis requisita vt illa ponatur: potest tamen esse positius affectus voluntatis illam ponendi, si conditio non deficiat. Et si affectus verus & positius non posset esse nisi de re absolute futura, sequeretur Deum non habuisse verum & positium affectum circa salutem reprobatorum: neque dedisse illis media & auxilia sufficientia ad salutem, ex vero affectu eos saluandi. Et Christum non habuisse verum & positium affectum conuertendi Iudaos rebelles. Quod absurdum est, & contra Scripturam, locis supra citatis.

92.

Decreta conditionata Dei non sunt inutilia.

Opponit sextò, Tale decretum esse prorsus inutile & inefficax, si solum sit. Vt enim in nobis decretum conditionatum, miles repetitam, si solum sit, nihil ponit & efficit, sed in absolutum transire debet: Ita non satis est Deum velle aliquid conditionate, sed pertere illud idem, eiusque causas & conditiones omnes absolute velle debet. Respondeo primò, decreta conditionata posse esse efficacia secundum quid, aut in aliquo generali decreto efficaci contenta, vt cuius decreti alia multa sunt; & illud etiam fieret, posita simili conditione. Ex gr. voluntas conditionata saluandi reprobos, est efficax secundum quid, quatenus procedit ad electionem mediatorum necessariorum. Voluntas autem conditionata mittendi Angelos, ad Christum in manibus Iudaorum liberandum, si ipse id. Patrem rogasset, continebatur in decreto generali efficaci, quo Deus statuerat dare Christo quidquid efficaciter & absolute rogaret. Secundò, licet aliqua Dei decreta sint plane inefficacia, id est nihil ad extra operentur, neque statuant positue operari: non propterea sunt inutilia simpliciter. Sufficit enim quòd aliquam virtutis perfectionem contineant, propter quam possint decenter haberi. Atque ita propter bonum, quod est in liberali communicatione, & diffusionem sui ad extra, potuit Deus habere decretum creandi alium mundum, si istum non creasset. Sicut homines laudabiliter possunt hos affectus concipere, si essem diues, darem liberaliter eleemosynam. Si Rex essem, aut summus Pontifex, regerem subditos cum magno bonorum zelo. Si occasio martyrij se offerret, libenter morerer pro Christo. Si Deus vellet vt morte mea omnes à damnatione liberarem, libenter vitam in illum finem impenderem.

93.

Opponi potest Septimò, id quod idem auctor ait num. 3. cap. cit. prope finem: Nos quidem rerum agendarum plerumque dubios, & incertos futurorum, & capaces multitudinis & successionis actuum,

posse de eadem re formare decretum, hypotheticum, priusquam absolute; secus verò Deum, qui simul & vno actu omnia cernit & decernit. Confirmatur quia ridiculum esset aliquem interius sic decernere, *Dabo Petro hereditatem si hoc egerit*, cum iam sciret Petrum non esse acturum. Atqui Deus scit reprobos non esse bene acturos. Quomodo ergo decernit dare illis salutem, si bene egerint?

Respondeo scientiam euentus, & conditionis ponendæ, aut non ponendæ, ex gr. quod reprobi non sint bene acturi, neque vsuri medijs, quamuis simul tempore sit, & ab æterno, esse tamen ratione & virtualiter posteriorem decreto conditionato saluandi reprobos. Supponit enim data esse auxilia reprobis, quibus abutuntur; & consequenter supponit voluntatem illa dandi, atque adeo voluntatem aliquam finis, in ordine ad quem dantur. Itaque Deus simul tempore, sed cum ordine virtuali, habet quidquid significatur his propositionibus: Volo saluare omnes homines, & gloria mea participare facere, si ipsi velint cooperari. Volo illis dare media, quibus hunc finem consequi possint, si per eos non stet. Præideo hos & illos non vsuros medijs his & illis à me oblati: & ea de causa solo absolute eos saluare, sed volo punire pro meritis. Et hoc est quod Theologi recte sentientes intelligunt, quando dicunt præscientiam abusus mediatorum non esse in illo priori signo rationis, in quo Deus vult antecedenter & conditionate eorum salutem: id est, non præsupponi illi decreto, velut illius causam & fundamentum virtuale; sed potius illud præsupponere, & ab eo pendere virtualiter. Non enim volunt Deum re ipsa id ignorare, quasi verò à parte rei scientia illa in Deo non fuerit aliquando: Non fuisse autem aliquando, si Deus verò ignorasset. Sed volunt illam præscientiam non fuisse virtualiter causam vilo modo desiderij conditionati salutis reprobatorum: sed è contrario desiderium fuisse aliquo modo causam præscientiæ, illicque præsuppositum virtualiter, modo supra explicato.

Eodemque sensu dicunt aliqui Theologi, quorum sententiam magis probamus, Deum antecedenter, & à se, habuisse affectum conditionatum mittendi Christum in carne impassibili, si Adam non peccasset: illumque affectum fuisse priorem præscientiæ lapsus Adæ: siue quod idem est, præscientiam lapsus Adæ non fuisse in illo priori signo rationis: quod est dicere præscientiam lapsus Adæ non fuisse vilo modo causam & fundamentum talis decreti conditionati: sed potius tale decretum virtualiter præsupponi præscientiæ: quatenus præscientia lapsus Adæ præsupponit statum gratiæ, de quo lapsus est: & consequenter præsupponit in Deo voluntatem illam

conferendi: quæ Dei voluntas, quia fuit propter Christum eiusque merita præuisa, vt docet eadem sententia: ideo etiam præsupponit ipsum Christum iam decretum, & venturum: non vt passibilem, quia si Adamus non peccasset, non modò Christus, sed & omnes homines fuissent impassibiles. Itaque quòd Christus fuerit decretus vt passibilis, pependit à peccato Adami, & præsupponit ipsius lapsum: ideoque præsupponit etiam gratiam à qua lapsus est, & Christum eius auctorem, decretum quoad substantiam, & venturum alioqui modo impassibili. Atque hoc intelligunt iidem Theologi, quando dicunt præscientiam peccati, & decretum Christi vt passibilis, fuisse in alio signo rationis posteriori. Quare falluntur qui putant hos Theologos nimis crasse sentire & loqui de ordine decretorum Dei. Fatemur autem, & diligenter notari volumus, hanc prioritatem & posterioritatem consistere in virtuali causalitate, & dependentia vnus ab alio. Ita vt vnum decretum esse prius aut posterius alio, vel aliquà præscientiâ distincta; idem sit atque esse illius causam virtualem, & fundamentum: vel contra, in illo fundari virtualiter, & ab eo pendere.

95. Ad argumentum igitur propositum respondeo in forma: Deum acere vt vnico actu multò perfectius & simplicius, id quod nos multis & successiue facimus. Neque ob stare Dei præscientiam æternam, quòd minus independentem ab illo, & ratione prius, ac virtuali præsuppositione, potuerit velle conditionatè salutem eorum quos præuidit ab usuros mediis, & propter eandem præuisionem voluit absolute non saluare. Enim vero si præscientia euentus non futuri redderet impossibile illius desiderium; non potuisset Christus desiderare conuersionem Iudæorum, quorum maliciam, & negationem confensus, atque damnationem, certissimè præsciebat. Quomodo ergo tantum affectum eorum salutis præ se fert Matth. 23. *Quoties volui congregare filios tuos, &c.* Sic etiam possunt homines desiderare conditionatè id quod certissimè sciunt nunquam esse futurum: maxime verò si id non est futurum defectu conditionis pendens à sua libera potestate. Quo pacto docent plerique Theologorum, quorum sententiam probamus, eum cui Deus reuelaret fore vt sua culpa excidat à salute; posse nihilominus ac debere satagere vt non peccet, & non liberari à debito sperandi conditionatè vitam æternam, & procurandi eius consecutionem per media dependentia à sua libertate. Sic vt neque reuelatio Christi facta Petro Apostolo de trina negatione, illum liberabat à debito non peccandi, & conandi vitare peccatum negationis, etiam tunc reuelationis meminisset: alioqui cognitio reuelationis illum excusasset à culpa. Et certè Christus præsciebat Iudæos non esse conuertendos, etiam tunc cum eorum conuersionem desiderabat, & procurabat sollicitè. Et Deus nouit damnationem futuram reprobatorum, etiam tunc cum ab æterno desiderauit eorum salutem, & media illius assequenda constituit.

rabat sollicitè. Et Deus nouit damnationem futuram reprobatorum, etiam tunc cum ab æterno desiderauit eorum salutem, & media illius assequenda constituit.

96. Quòd autem respondent eruditi aliqui recentiores, differentiam esse, quia præscientia futurorum non est naturalis menti creata, atque adeo turbat ordinem affectuum creaturæ, cui expedit carere præscientia. At in Deo præscientia, vt in suo proprio subiecto, nihil turbat in affectibus. Idque omnino necessarium est. Alioquin aut Deus careret præscientia, aut vero affectus salutis reprobatorum. Hoc, inquam, non satisfacit. Primò quia præscientia non erat connaturalis animæ Christi: cuius tamen affectus non turbabat. Secundo quia si præscientia & affectus pugnarent naturaliter inter se, hoc est ratione formalis alicuius oppositionis. Quare pugnarent in omni subiecto in quo essent. Vbiunque enim sunt eadem formæ, eadem est formalis oppositio inter illas, quæ oppositio non est aliud, quam natura ipsarum formarum disconuenientium aut contrariarum. Quare pugnarent etiam in Deo. Esto, in illo sit maior vis vincendi hanc repugnantiam, aut ei resistendi, quàm sit in creaturis.

97. Obiiciunt quidam alij apud Didac. Ruis disput. 20. de voluntate Dei, sect. 4. repugnantiam volitionum esse imperfectionem. Hæc autem repugnantia vit in Deo, si Deus volitione inefficaci & conditionata vult salutem eorum hominum, quos efficaci voluntate reprobat & damnat. Ergo Deus non habet voluntatem efficacem & conditionatam. Item sequeretur diuina volitioni admisceri inuoluntarium secundum quid. Nam reprobatio, & volitio damnandi, est inuoluntaria secundum quid, si Deus simul habet voluntatem antecedentem, quæ vult, secundum quid, saluare & non reprobare. Consequens autem est falsum, quia inuoluntarium non potest admisceri diuinae voluntati, nisi ratione ignorantia, neque ratione imperfectæ considerationis actualis, neque ratione passionis, neque ratione coactionis extrinsecæ, aut metus, neque ratione malitiæ, vt creatis voluntatibus contingit. Ergo ex nullo capite potest diuinae volitioni admisceri inuoluntarium. Item Agatho Papa in epist. decret. quæ refertur in sexta Synodo generali act. 4. dicit Christum habuisse duas voluntates, diuinam & humanam, inter quas hoc discrimen assignat, quod diuina Christi voluntas semper impletur, non autem humana, vt patet quando Marc. 7. voluit Christus latere, & non potuit. At hoc discrimen non esset verum, si daretur in Deo voluntas conditionata inefficax, & de obiecto non futuro. Nam illa voluntas diuina non impletur. Neque responderi potest Agathonem loqui de voluntate diuina absolute efficaci, de qua verè affirmat semper impleri. Nam etiam voluntas humana Christi absoluta & efficax quantum in ipso erat, semper implebatur.

Ad primum respondeo repugnantiam volitionum simplicem & absolutam, esse imperfectiorem; neque esse posse in eadem voluntate sine inconstantia & mutabilitate. Sed non est talis repugnantia in eo quod Deus velit saluare reprobos, si velint ipsi cooperari: & absolute nolit saluare, posito quod nolint cooperari; eademque de causa illos reprobet. Est enim diuersum obiectum, & diuersa voluntatis, vt manifeste patet: & modi illi tendendi ad vtrumque, se facile compatiuntur. Ad secundum, concedo sequelam. Nam reprobatio est contra affectum & sincerum desiderium quod Deus habet vt reprobi cooperentur, & saluentur, & contra propensionem quam ex se habet ad volendum absolute saluare, posita cooperatione. Hoc autem inuoluntarium prouenit ab exigentia obiecti, & praescripto rectae rationis. Nam quia in obiecto malum aliquod admittitur bono; Deus vult antecedenter & a se bonum, nempe salutem & cooperationem reproborum: malum autem peccati, & negatio libera cooperationis, illi displicet. Permittit tamen propter bonos fines suae prouidentiae: & reprobat absolute propter negationem cooperationis.

Ad tertium Respondeo Agathonem loqui de voluntate efficaci quantum in se est naturaliter, id est, per vires sibi connatura-

les, & per media naturaliter sibi possibilia. Nam supponit Agatho Christum voluisse latere efficaciter, non omnino, sed secundum quid: nempe quantum poterat per media naturalia, & per vires naturaliter subiectas ipsius voluntati humanae, sine recursum ad miracula, & ad diuinam omnipotentiam. Ita vt si non sufficerent omnia media quae naturaliter poterat adhibere, vellet permittere appositum, neque propterea recurreret ad inuisibilitatem, aut aliam miraculosam occultationem. Eoque sensu recte ait Euangelista, *Voluit latere*, nempe quantum poterat humanitus, siue humano modo: occulte intrando domum, & se occultando quantum humano & communi modo fieri potest: *Nec tamen potuit*: id est, huiusmodi media non fuerunt sufficientia, neque per ea obtinuit vt lateret. Et hoc sensu recte supposito, tanquam in verbis Euangelistae benedictio optima est argumentatio Agathonis, & differentia ab illo assignata. Nam illa voluntas quae non potuit assequi id quod volebat, applicando omnia media sibi naturaliter possibilia, & per omnes vires connaturaliter sibi subiectas, non potuit esse voluntas ipsa Dei, de cuius natura est omnipotentia, cuique omnia subsunt constituturali potestate iuris & facti, ad faciendum quicquid vult.

DISPUTATIO DECIMA QUINTA.

De generalibus diuisionibus actuum diuinæ voluntatis.

Sectio I. *Quotuplex sit actus diuinæ voluntatis?*

Sectio II. *De voluntate efficaci, absoluta, antecedente, eiusque opposito.*

Sectio III. *De voluntate signi, & beneplaciti.*



De argumento proposito disputat S. Thom. quæst. II. art. 4. 3. 6. 11. & 12. ubi docet voluntatem Dei esse causam rerum, eamque nullam habere causam, & semper impleri aliquo modo: esseque in Deo distinguendam voluntatem signi, à voluntate beneplaciti. Voluntas enim proprie dicta, vocatur voluntas beneplaciti. Voluntas autem metaphorice dicta, est voluntas signi, eod quod ipsum signum voluntatis, dicitur voluntas. Huiusmodi autem signa voluntatis diuinæ quinque sunt: operatio, præceptum, consilium, prohibitio, & permissio. Nam huiusmodi signa voluntatis in-